

PONTIFICIUM CONSILIUM  
DE LEGUM TEXTIBUS  
INTERPRETANDIS

# COMMUNICATI<sup>N</sup>E<sup>S</sup>

VOL. XXVII - N. 1

---

1995

# COMMUNICATIONES

PONTIFICIUM CONSILIUM  
DE LEGUM TEXTIBUS INTERPRETANDIS

Piazza Pio XII, 10 - 00193 Roma

N. 1

IUNIO 1995

Semestrale

Sped. Abb. Postale - 50% Roma

## EX ACTIS IOANNIS PAULI PP. II

### ALLOCUTIONES

Allocutio Summi Pontificis ad Iudices, Administros Advocatosque Rotae Romanae co- ram admissos . . . . .	3
-------------------------------------------------------------------------------------------------------------	---

## EX ACTIS SANCTAE SEDIS

### SECRETARIA STATUS

Rescriptum ex Audientia Sanctissimi quo Normae Rotales in forma specifica approbantur . . . . .	9
-------------------------------------------------------------------------------------------------	---

### CONGREGATIO DE CULTU DIVINO ET DISCIPLINA SACRAMENTORUM

Instructio de Liturgia Romana et Inculturatione . . . . .	10
-----------------------------------------------------------	----

## ACTA CONSILII

Quaestiones quaedam studio Pontificii Consilii submissae . . . . .	30
Pontificii Consilii Publicationes . . . . .	31

## EX ACTIS PONTIFICIAE COMMISSIONIS CODICI IURIS CANONICI RECOGNOSCENDO

Coetus studii « De Institutis perfectionis » (Sessio X) . . . . .	32
Coetus studii « De Institutis perfectionis » (Sessio XI) . . . . .	79
Coetus studii « De Institutis perfectionis » (Sessio XII) . . . . .	125
Notitiae . . . . .	175
Opera a Consilii Bibliotheca recepta . . . . .	176

# Ex Actis Pont. Comm. CIC Recognoscendo

I

## COETUS STUDII «DE INSTITUTIS PERFECTIONIS»

### Sessio X

(dd. 7-12 decembris 1970 habita)

Diebus 7-12 decembris 1970, in Aula huius Pontificiae Commissionis convenerunt Consultores Coetus studii «De Institutis perfectionis» sub directione Rev.mi P. Raimundi Bidagor S.J., Secretarii Commissionis. Conventibus intererant Rev.mus P. Said O.P., qui numere functus est Relatoris, Exc.mi tres ac Rev.mi octo Consultores. Nonnullis adunationibus interfuerunt quoque Rev.mus unus et Ill.mus unus Consultores. Actuarii munere functus est Rev.mus Herranz, a studiis Commissionis.

Ineunte sessione, Rev.mus Secretarius adstantibus salutem dicit. Deinde Relator illustrat relationem introductivam huius sessionis X<sup>ae</sup>, quae his actis adnectitur (cf. Adnexum).

Tempus utile datur Consultoribus ut suas animadversiones proponere valeant in Relationem conclusivam IX<sup>ae</sup> sessionis atque in Relationem introductivam huius sessionis, sed iam nunc incipiet examen schematis «De obligationibus Institutorum eorumque sodalium», utpote quod iam pertractatum fuerit in fine praecedentis sessionis. De hac vero quaestione novum nunc proponitur schema, elapsa mense novembri a Parvo Coetu elaboratum, iuxta ea quae in fine sessionis IX<sup>ae</sup> Coetus Consultorum statuta et approbata fuere.


I

### Tit. VII: DE OBLIGATIONIBUS INSTITUTORUM EORUMQUE SODALIUM

#### A) ANIMADVERSIONES GENERALES

Cum in relatione praecedentis sessionis IX<sup>ae</sup>,<sup>1</sup> dicatur circa generalem obligationem singulorum consiliorum: «sufficit canon ubi statuatur has determinationes faciendas esse a iure particulari», Rev.mus primus Con-

<sup>1</sup> Cf. *Communicationes*, XXVI, 1994, 213.



sultor quaerit num praedictus canon iam redactus sit. Rev.mus Relator responderet hoc quidem factum iam esse in novo can. 5.

Rev.mus secundus Consultor se refert ad tit. IV «De bonis», qui in sessione IX<sup>a</sup> remissive positus est; cum vero aliquam habeat relationem cum paupertate, quaerit quid de ipso factum sit. Respondet Rev.mus Secretarius hanc quaestionem iam positam esse Coetui «De iure patrimoniali Ecclesiae», cuius sententia fuit ut normae de bonis quae sunt propria Institutorum perfectionis ponantur in parte Codicis ubi de his Institutis agendum sit, quia agitur de patrimoniis specialibus.

Exc.mus tertius Consultor quaerit ut canon redigatur de paupertate seu de usu bonorum ex parte Institutorum perfectionis, saltem in genere de usu bonorum in communi. Rev.mus Secretarius obiicit hoc non exsurgere ex voto paupertatis, quod est individuale, et censem praedictam quaestionem omnes ecclesiasticas institutiones afficere. Animadvertisit tamen Rev.mus secundus Consultor mentem Fundatorum respicere pro nonnullis Institutis etiam paupertatem collectivam. Rev.mus quartus Consultor praeoptat ut de hac re aliquid dicatur, sed in parte speciali, ubi de Institutis religiosis: hoc placet omnibus.

Rev.mus quintus Consultor expedire censem ut in hoc titulo VII, antequam de separatione ab Instituto agatur, quaestio consideretur sat agitata in Statibus Foederatis Americae Septentrionalis circa controversias quae oriri possunt moderatores inter et sodales. Rev.mus Secretarius existimat hanc quaestionem indolem generaliorem induere, quia se refert ad processus administrativos: postquam ergo redacti sint canones de hac materia, perpendi poterit num normae ibi statutae de tribunalibus arbitratus eorumque instantiis, etc., applicari possint necne Institutis perfectionis. Etiam Rev.mus Relator censem hanc quaestionem nondum ad maturitatem pervenisse, quapropter expedire sibi videtur ut iuri particulari relinquatur. Attamen Exc.mus sextus Consultor praeoptat ut quaestio haec modo generali in Codice solvatur, quia conflictus adsunt etiam Episcopos inter et Presbyteros, etc. Huic solutioni Exc.mus tertius aliisque Consultores accedunt. Etiam Exc.mus septimus Consultor proponit ut de hac aliisque quaestioni bus agatur quando pars specialis legislationis perpendenda sit.

## B) EXAMEN SINGULORUM CANONUM

### *Can. primus*

Hic est textus propositus:

«Praecipuum cuiusvis Instituti officium est suam in Christo et in Ecclesia vocationem agnoscere, indolem suam peculiarem iuxta Fundatorum

spiritum fideliter servare propriaque proposita, attentis temporum conditionibus, sedulo prosequi».

Dubitat Exc.mus septimus Consultor de opportunitate adhibendi vocem «vocatio» relate ad Instituta, quia vocatio est personalis. Respondet Rev.mus Relator hoc verbum heic intelligi de charismate proprio uniuscuiusque Instituti.

Exc.mus sextus Consultor laudat canonem, sed difficultas sibi adesse videtur ex eo quod multa Instituta nesciunt quid sint et se gerunt ac si sint Instituta saecularia, etc. Adest nunc vera crisis identitatis, uti fere cotidie animadvertisit in S.C. de Religiosis et Institutis saecularibus. Cum hac animadversione concordant Rev.mus Secretarius, Rev.mus Relator et alii Consultores.

Exc.mo tertio Consultore non placet verbum «praecipuum», et proponit ut dicatur «momentosum». Concordant Rev.mi primus et secundus Consultores, qui malunt ut dicatur simpliciter: «officium est», quia officium praecipuum est colere Deum. Plerisque tamen Consultoribus non placet haec emendatio, quia omnes fideles debent colere Deum.

Etiam Rev.mus primus Consultor suggerit ut loco «Fundatorum» dicatur «Fundatoris», quod non placet.

Fit demum suffragatio, et a maiore parte textus approbatur uti propositus fuerat.

### *Can. secundus*

Textus propositus sic sonat:

«Sodales mente recolant se professione consiliorum evangelicorum vocationi suae responsum dedisse, adeo ut, ab impedimentis quae caritatis fervorem minuere possunt liberati, Deo Eiusque regno solum vivere tenentur iuxta propriae vocationis gratiam».

Hic canon omnibus placet quoad substantiam.

Exc.mus septimus Consultor tres facit propositiones: *a)* loco «mente recolant» dicatur «meminerint». Magis vero placet textus uti iacet, quia verbum «meminerint» sapit praescriptum iuris poenalis (cf. CIC can. 2214, § 2); *b)* dicatur: «vocationi *divinae* responsum». Hoc placet omnibus, exceptis Exc.mo tertio et Rev.mo secundo Consultoribus; *c)* loco «impedimentis», quod est verbum technicum, dicatur «obstaculis». Huic propositioni accedit Exc.mus tertius Consultor, quia nunquam sodales dici possunt liberati: debent quidem ad hanc liberationem tendere, sed per totam vitam proeliari debebunt ut re vera liberentur. Accedit Rev.mus quar-

tus Consultor, qui suggerit ut dicatur: « adeo ut, magis magisque ab iis quae... », quod placet omnibus.

Proponentibus etiam Exc.mo sexto et Rev.mo secundo Consultoribus, in fine canonis expunguntur verba « iuxta propriae vocationis gratiam ».

Fit suffragatio de canone ita emendato, qui placet omnibus.

Textus ergo probatus sic sonat:

« Sodales mente recolant se professione consiliorum evangelicorum vocationi divinae responsum dedisse, adeo ut, magis magisque ab iis quae caritatis fervorem minuere possunt liberati, Deo Eiusque regno solum vivere teneantur ».

#### *Can. tertius*

Ita sonat textus propositus:

« Sodales tamquam supremam vitae regulam Christi sequelam in Evangelio propositam habeant».

Rev.mus octavus Consultor postulat ut, sicut factum est in cann. 1 et 2, etiam in hoc canone mentio Instituti fiat. Accedit Rev.mus primus Consultor, qui quaerit etiam ut hic can. 3 fiat can. 2. Hoc vero ceteris non placet, quia de Instituto ipso iam sufficient quae in can. 1 continentur.

Suggerit Exc.mus septimus Consultor ut verborum ordo mutetur hoc modo:

« Sodales Christi sequelam in Evangelio propositam tanquam supremam vitae regulam habeant».

Hic textus placet omnibus.

#### *Can. quartus*

Textus ita proponitur:

« Sodalibus omnibus officium incumbit impense diligenterque cooperandi in aedificationem Corporis Christi iuxta propriam Institutorum vocationem. Attendant igitur ut per ipsos Ecclesia Christum mundo in dies melius commonstret, vel in monte contemplantem, vel Regnum Dei annuntiantem, vel inter homines conversantem eorumque necessitatibus occurrentem, semper autem voluntati Patris qui eum misit oboedientem ».

Rev.mus nonus Consultor postulat ut dicatur « iuxta propriam Institutorum *divinam* vocationem ». Animadversio vero a ceteris non probatur, quia hoc iam patet ex can. 1.

Exc.mo tertio Consultori non placet verbum «commonstret», quia Ecclesia Christum mundo commonstrat non solum per membra Institutorum perfectionis, sed etiam per alias fideles, sive clericos sive laicos. Hoc est quidem verum, sed censem Consultores haec verba manere posse, quia religiosi sunt signum publicum, nam agitur de statu publico in Ecclesia.

Exc.mus septimus Consultor obiectionem movet contra verbum «attendant». Animadversio tamen non approbatur, quamvis, proponente Rev.mo quarto Consultore, placeat ut dicatur: «*Sollicite* igitur attendant...».

Demum, proponente Rev.mo primo Consultore, placet ut dicatur: «iuxta propriam *uniuscuiusque* Instituti vocationem».

Textus ergo probatus sic sonat:

«Sodalibus omnibus officium incumbit impense diligenterque cooperandi in aedificationem Corporis Christi iuxta propriam uniuscuiusque Instituti vocationem. Sollicite igitur attendant ut per ipsos Ecclesia Christum mundo in dies melius commonstret, vel in monte contemplantem, vel Regnum Dei annuntiantem, vel inter homines conversantem eorumque necessitatibus currentem, semper autem voluntati Patris qui eum misit oboedientem».

#### *Can. quintus*

Ita proponitur textus:

«§ 1. Quodcumque Institutum, attentis natura et indole propriis, modum quo consilia evangelica castitatis, paupertatis et oboedientiae servari debent, in propria ratione vivendi iure particulari definit.

§ 2. Sodales vero omnes debent, non solum consilia evangelica fideliter integreque servare, sed etiam secundum propria statura vitam compонere atque ita ad perfectionem sui status contendere».

Exc.mus sextus Consultor difficultatem movet contra id, quod materia voti paupertatis determinanda relinquatur singulis statutis particularibus. Haec materia posset definiri modo quodam insolito, et periculum adest praesertim illis in Institutis ubi vota simplicia nuncupantur. His rationibus accedit Rev.mus quartus Consultor, qui tamen censem rem totam melius determinari posse in secunda parte, ubi de Institutis religiosis agetur. Cum hac propositione concordat Exc.mus sextus Consultor.

Iuxta Rev.mum primum Consultorem, in § 1 non sufficit verbum «modum», quia in iure particulari determinandi quoque sunt effectus iuri-

dici. Respondet autem Rev.mus Relator, et consentiunt ceteri, hoc iam satis intelligi ex tota redactione huius paragraphi.

Exc.mus septimus Consultor postulat ut, in § 2 dicatur «secundum propria *Instituti* statuta». Additio vero non videtur opportuna quia, uti animadvertisit Rev.mus decimus Consultor, sunt Instituta in quibus singulæ provinciae habent peculiaria statuta, praeter statutum quidem generale totius Instituti, a Supremo Moderatore approbata.

Fit ergo suffragatio, et placet textus a Relatore propositus.

*Can. sextus*

Textus propositus sic sonat:

«§ 1. Rerum divinarum contemplatio et continuum cum Deo commercium sodalibus servitio Dei et Ecclesiae consecratis veluti cibus cotidianus esto.

§ 2. Assidue igitur divinarum Scripturarum lectioni, sacrae Liturgiae celebrationi atque orationis mentalis et vocalis cultui vacent iuxta praescripta iuris particularis.

§ 3. Statuat insuper ius particulare annua sacri recessus tempora nec non alia periodica exercitia spiritualia».

Rev.mus secundus Consultor difficultatem admovet contra redactionem § 2, ubi fiunt distinctiones nimis strictae quae monachis non convenient. Fit de hoc discussio, sed omnes concordant in eo quod Sacra Liturgia non comprehendit cunctas formas orationis mentalis ac vocalis.

Quaerit etiam Rev.mus quintus Consultor ut in § 3 expungatur verbum «annua», quae determinatio relinquenda sibi videtur iuri particulari. Animadvertisit quoque ipse Rev.mus non unum esse sensum verborum «exercitia spiritualia».

Exc.mus septimus Consultor desiderat ut can. 6 contineat tantum praescriptum fundamentale de pietate colenda et de singulis exercitiis pietatis agatur in can. 7.

His attentis, Rev.mus quartus Consultor sequentem proponit redactionem:

«§ 1. Rerum divinarum contemplatio et assiduum cum Deo commercium sodalibus servitio Dei et Ecclesiae consecratis veluti cibus cotidianus esto.

§ 2. Sedulo igitur sodales divinarum Scripturarum lectioni vacent, sacrae Liturgiae celebrationem participant, orationem sive mentalem sive vo-

calem colant, annua sacri recessus tempora necnon alia exercitia spiritualia servent, ad norman iuris particularis».

Fit suffragatio, et textus ita propositus omnibus placet.

*Can. septimus*

Hic est textus a Relatore propositus:

«§ 1. Sodalibus enixe commendatur ut cotide sacrificio Eucharistico participant iuxta suam cuiusque conditionem, Sanctissimum Corpus Christi recipientes.

§ 2. Ad Poenitentiae sacramentum frequenter accedant iuxta praescripta iuris particularis et consilia proprii moderatoris spiritus.

§ 3. Aliis insuper mediis supernaturalibus et naturalibus suo scopo aptis utantur sodales tam communibus quam Instituto propriis; potissimum vero conscientiam suam discutiant, sanctissimum Sacramentum visitent et Deiparam Virginem, praesertim mariano rosario, colant».

Rev.mis octavo et primo Consultoribus minus placet ut in titulo «De obligationibus» ponantur commendationes. Respondent tamen Exc.mus sextus Consultor ac Rev.mus Secretarius veram obligationem exsurgere ex hac commendatione, licet sit tantum moralis et non iuridica.

Rev.mus decimus Consultor mavult ut expungatur in § 3 referentia ad mariannum rosarium. Rev.mus autem Relator respondet hoc praescriptum inveniri in CIC necnon in schemate «De clericis» nostrae Commissionis; praeterea recitatio marianni rosarii valde commendata est, etiam in recenti Magisterio Pauli VI.

Postulat quoque Rev.mus secundus Consultori ut in § 1 supprimantur verba «sanctissimum Corpus Christi recipientes», quia hoc iam innuitur per verba «sacrificio Eucharistico participant». Fit suffragatio, et placet plerisque Consultoribus ut haec verba maneant, quamquam revideri possunt ab aliquo perito in re liturgica.

Fiunt etiam aliae animadversiones quoad verba adhibita, et demum sequens textus suffragatione approbatur:

«§ 1. (Uti proposita fuerat a Relatore).

§ 2. Ad Poenitentiae sacramentum frequenter accedant iuxta normas iuris particularis et consilia proprii moderatoris spiritus.

§ 3. Aliis insuper mediis, supernaturalibus et naturalibus, ad vitam spiritualem fovendam aptis utantur sodales tam communibus quam Insti-

tuto propriis; potissimum vero conscientiam suam discutiant, sanctissimum Sacramentum visitent et Deiparam Virginem, etiam mariano rosario, colant».

*Can. octavus*

Textus ita proponitur:

«Sodalium fraterna communio, in caritate radicata et fundata, aliis exemplo sit universalis in Christo reconciliationis. Omnes autem in modo sese gerendi modestiam proprii status et mansuetudinem Christi commonstrent».

Post parvam disceptationem, sequens textus approbatur:

«Sodales fraterna communione, in caritate radicata et fundata, aliis exemplo sint universalis in Christo reconciliationis: pariter in modo sese gerendi mansuetudinem et modestiam Domini commonstrent».

Sic expletur examen canonum huius tituli. Antequam vero transitus fiat ad sequentem titulum, quaeritur num aliquis obiectiones habeat proponendas in Relationem conclusivam praecedentis sessionis 9<sup>ae</sup>. Nulla habetur animadversio, et ideo eius textus unanimiter approbatur.

## II

## Tit. VII: DE SEPARATIONE AB INSTITUTO

Relator explanat imprimis rationes iuxta quas hic titulus redactus est a Parvo Coetu quaeque in Relatione introductiva inveniuntur (cf. Annexum). Deinde omnes canones huius tituli leguntur antequam de singulis disceptatio fiat.

Quaedam proponuntur generales animadversiones in hunc titulum.

Secundum Rev.mum primum Consultorem, admitti nequit ultimus articulus huius tituli («De conditione separatorum ab Instituto»), saltem sub hac enuntiatione, quia de conditione iuridica separatorum iam agitur in praecedentibus articulis. Respondet Rev.mus Relator Parvum Coetum sequi voluisse ordinem vigentis Codicis, quatenus hoc possibile erat. Quae-stio tamen postea perpendi poterit.

Quaerit Exc.mus septimus Consultor utrum de hac re agendum quoque sit necne in parte speciali. Rev.mus Relator negative respondet, quia determinationes huius materiae iuri particulari relinquuntur, quamvis for-sitan aliquid dicendum sit de transitu ab uno in aliud monasterium.

Exc.mus tertius Consultor quaestionem ponit de incardinatione ipso facto (can. 10, § 2). Ponitur etiam casus sacerdotis in dioecesi incardinati qui est membrum Instituti perfectionis et ab Instituto separatur. Censem Rev.mus Relator hanc aliasque similes questiones pertractandas esse in loco novi Codicis ubi de incardinatione agetur. Facta suffragatione, approbatur ut quaestio haec proponatur Coetui « De Sacra Hierarchia ».

*Art. I: De transitu ad aliud Institutum*

*Can. primus*

Textus ita proponitur Coetui:

« § 1. Ad transitum sodalium a proprio in aliud Institutum requiritur consensus utriusque Supremi Moderatoris cum suffragio deliberativo respectivi Consilii.

§ 2. Ius autem particulare statuat definitivum probationis tempus, quo exacto, sodalis transiens ad novam cooptationem admitti potest iuxta statuta.

§ 3. Qui momento transitus iam definitive erat cooptatus, post peractam probationem a iure particulari praescriptam, definitive cooptetur in novo Instituto; secus temporaria assumat vincula saltem per triennium duratura ».

Quoad § 1 sequentes fiunt animadversiones:

Iuxta Rev.mum secundum Consultorem, « Abbas Primas » non est in omnibus « Supremus Moderator », et hic residet magna difficultas pro monachis. Respondet Rev.mus Relator Supremum Moderatorem esse in casu Abbatem monasterii sui juris, quamvis de hac re forte expedit ut norma ponatur in parte speciali.

Rev.mus primus Consultor animadvertisit canonem non contemplari transitum ab Instituto quod habet ius incardinandi ad aliud Institutum (nempe ad Institutum saeculare) quod hoc iure careat. Quaestio tamen haec, ut iam approbatum est, perpendenda erit a Coetu « De Sacra Hierarchia ».

Quoad § 2:

Censem Exc.mus sextus Consultor casus esse valde diversos, quapropter expedire sibi videtur ut norma non sit nimis stricta. Ad mentem huius ani-

madversionis, Rev.mus quartus Consultor suggestit ut dicatur: «Ius autem particulare *definiat* probationis tempus...». Hoc placet.

Rev.mus decimus Consultor, cui accedit Exc.mus septimus Consultor, censem in fine paragraphi dicendum esse «admittatur», loco «admitti potest», quia re vera candidatus admitti vel dimitti debet.

Quoad § 3:

Postulante Rev.mo quinto Consultore, expunguntur verba «a iure particulari praescriptam», quia non videntur necessaria.

Rev.mus primus Consultor obiectionem movet contra relaxationem a iure votorum solemnum si transitus fiat ad religionem votorum simpli- cium. Alii autem Consultores respondent relaxationes huius generis, nunc praesertim, fieri a iure. Praeterea casus similes inveniuntur iam in canonibus 648, 669 et 681 CIC.

Textus canonis qui definitive approbatur sequens est:

«§ 1. Sodalis nequit a proprio in aliud Institutum transire nisi de consensu Supremi Moderatoris utriusque Instituti cum suffragio deliberativo sui cuiusque Consilii.

§ 2. Ius autem particulare *definiat* probationis tempus et modum, qua probatione peracta sodalis ad novam cooptationem admittatur ad normam statutorum.

§ 3. Qui momento transitus definitive erat cooptatus, post peractam probationem definitive cooptetur in novo Instituto; qui vero non definitive cooptatus erat temporaria assumat vincula saltem per triennium duratura».

### *Can. secundus*

Hic est textus propositus:

«§ 1. Usque ad novam cooptationem, iura et obligationes quae sodalis in priori Instituto habebat, suspensa manent; ab incoeptra tamen probatione idem sodalis statutis novi Instituti tenetur.

§ 2. Si ad cooptationem non admittatur aut ipsem eam renuat, sodalis ad pristinum Institutum redire tenetur, nisi interim dispensationem a vinculis obtainuerit aut praecedentis cooptationis tempus expiraverit.

§ 3. Per cooptationem sodalis novo Instituto plene incorporatur, definitive iura et obligationes prioris Instituti amittendo et alterius iura et officia suscipiendo».

Rev.mi Relator et decimus Consultor suggestunt ut, in § 1, dicatur: « Usque ad novam cooptationem, *manentibus sacris ligaminibus*, iura et obligationes *particulares* quae... ». Ita enim solvuntur quaestiones quae ex surgere possunt ratione votorum, praesertim paupertatis, in professione solemnii. Obiicit Rev.mus secundus Consultor hoc modo non solvi quaestio nem circa votum oboedientiae, quod fit erga determinatum Moderatorem, qui est Moderator Supremus Instituti a quo. Respondet Rev.mus Relator nullam esse difficultatem, quia hic Superior consensum dedit quoad transitum sodalis. In eodem sensu, Ill.mus undecimus Consultor animadvertisit integrum manere in casu voluntatem servandi tria consilia evangelica, quod est elementum commune omnibus Institutis perfectionis: manet ergo substantia, licet cessent specificationes particulares.

Quoad § 2, postulantibus Exc.mo sexto et Rev.mo decimo Consultori bus placet ut expungatur verbum « interim », ne aequivocae interpretationes habeantur.

Suggerente Rev.mo duodecimo Consultore, placet quoque ut in fine paragaphi dicatur « tempus iam expiraverit ».

Quoad § 3:

Placet ut expungatur verbum « plene ».

Quaerit Exc.mus sextus Consultor num candidatus, si ad definitivam cooptationem non admittatur, ad pristinum Institutum redire teneatur.

Rev.mus Relator negative respondet, quia incorporatio in Instituto a quo cessat absolute per cooptationem in novo Instituto, licet sit tantum temporaria.

Postulante Rev.mo primo Consultore, placet ut dicatur sacra vincula prioris Instituti cessare: haec affirmatio videtur esse necessaria, quia in § 1 habentur verba « *manentibus sacris ligaminibus* ». Approbatur ergo sequens formula: « ... incorporatur, *cessantibus sacris ligaminibus, iuribus et obligationibus praecedentibus* ».

Placet etiam omnibus ut, ad mentem Const. *Lumen gentium*, n. 44, in hoc canone non vox « *vinculum* », sed « *ligamen* » adhibeatur.

Hic est igitur textus probatus:

« § 1. Usque ad novam cooptationem, *manentibus sacris ligaminibus*, iura et obligationes *particulares* quae sodalis in priori Instituto habebat, suspensa manent; ab incopta tamen probatione sodalis statutis novi Instituti tenetur.

§ 2. Si ad cooptationem non admittatur aut ipsem et eam renuat, sodalis ad pristinum Institutum redire tenetur, nisi dispensationem a li-

gaminibus obtinuerit aut praecedentis cooptationis tempus iam expiraverit.

§ 3. Per cooptationem sodalis novo Instituto incorporatur, cessantibus sacris ligaminibus, iuribus et obligationibus praecedentibus».

Art. II: *De egressu ab Instituto*

*Can. tertius*

Textus propositus ita sonat:

«§ 1. Qui expleto cooptationis tempore ab Instituto egredi voluerit, iure illud derelinquere potest.

§ 2. Supremus Moderator, auditio Consilio, iustis et rationabilibus de causis attenta rei gravitate, sodali definitive cooptato concedere potest, non tamen ultra triennium, permissionem vitam agendi extra Institutum, suspensis obligationibus quae cum hac vitae conditione componi non possunt. Sodalis huiusmodi moderatoribus suis submissus manet, caret tamen voce activa et passiva.

§ 3. Supremus Moderator sodali qui Institutum derelinquere petit, gravissimis de causis coram Domino perpensis, indultum definitivae separationis ab Instituto concedere potest de consensu sui Consilii. Quod indultum secumfert solutionem a votis vel aliis sacris ligaminibus».

Exc.mo sexto Consultore hic canon minus placet, quia faciliorem reddit dispensationem a votis; iuxta vigentem enim disciplinam, haec dispensatio competit Sanctae Sedi, quae non semper eandem concedit. Obiicit tamen Rev.mus Secretarius Sanctam Sedem sat frequenter huiusmodi dispensationem concedere; praeterea causae ob quas forte expedit ut dispensatio concedatur melius cognoscuntur a moderatoribus quam a Sancta Sede. Respondet tamen Exc.mus sextus Consultor rationes a moderatoribus allatas aliquando non sufficienes esse, quapropter adest prudens quaedam supervisio ex parte S. Congregationis.

Rev.mus tertius decimus Consultor concordat cum Exc.mo sexto Consultore, etiam quia nonnullae Conferentiae Episcopales postularunt facultatem dispensandi a sacerdotali caelibatu, sed mens S. Congregationis contraria est huic concessioni. Praeterea, magna est differentia inter diversas regiones et prudentia requiritur.

Exc.mus septimus Consultor sufficere censem cautelas in § 3 statutas, quae etiam augeri possunt, si id necessarium videatur.

Exc.mus tertius Consultor exsistimat recursum ad Sanctam Sedem esse psychologice utilem, quia nimia facilitas dispensationis vertit etiam in detrimentum fortitudinis eorum, qui in propria vocatione et statu perseverare desiderant.

Iuxta Rev.mum primum Consultorem, pree oculis habendum est Superiorissas Congregationum quandoque obligare subditas ad petendam dispensationem.

Animadvertisit Rev.mus decimus Consultor aliquam vigilantiam ex parte S. Sedis iam adesse ad normam can. 9, § 3, quapropter sibi placet textus propositus.

Rev.mus quartus Consultor mavult ut ex tribus paragraphis fiant tres diversi canones, quia de rebus diversis in ipsis agitur. Praeterea, in § 3 distinguendum est inter sodales temporarie cooptatos et definitive cooptatos.

Iis attentis, ad mentem propositionis Rev.mi quarti Consultoris, Rev.mus Relator redigit tres novos canones, quorum textus sic sonat:

#### *Can. tertius*

«Supremus Instituti Moderator, audito Consilio, iustis et rationabilibus de causis attenta rei gravitate, sodali (definitive cooptato) concedere potest, non tamen ultra triennium, permissionem vitam agendi extra Institutum, suspensiis obligationibus quae cum hac vitae conditione componi non possunt. Sodalis huiusmodi moderatoribus suis submissus manet (sub cura moderatorum suorum manet); caret tamen voce activa et passiva».

#### *Can. tertius (bis)*

«Qui expleto cooptationis tempore ab Instituto egredi voluerit, iure illud derelinquere potest».

#### *Can. tertius (ter)*

«§ 1. Sodalis temporarie cooptatus, qui Institutum derelinquere petit iustis et gravibus de causis, a Supremo Moderatore de consensu Consilii consequi potest licentiam definitive ab Instituto discedendi.

§ 2. Supremus tamen Moderator sodali definitive cooptato petitum indultum perpetuae separationis ab Instituto concedere non valet nisi gravissimis de causis coram Domino perpensis et habito unanimo consensu sui Consilii secreto suffragio manifestato.

§ 3. Tam licentia definitive discedendi quam indultum perpetuae separationis ab Instituto, de quibus in §§ 1-2, secumfert solutionem a votis vel aliis sacris ligaminibus».

Rev.mus quartus Consultor expedire censem ut § 2 can. 3 (ter) sit canon diversus, quo profundior habeatur differentia temporarios inter et definitive cooptatos.

Iuxta Exc.mum sextum Consultorem, § 1 can. 3 (ter) fieri potest § 2 can. 3 (bis). Ita enim can. 3 (ter) esset pro definitive cooptatis, sed non augeretur numerus canonum.

Concordat Exc.mus tertius Consultor, qui tamen distinguendum esse censem inter § 1 («qui expleto cooptationis tempore») et § 2 («qui durante cooptationis tempore»).

Desiderat quoque Exc.mus sextus Consultor ut § 2 can. 3 (ter) modo positivo exaretur. Praeterea nimium sibi videtur exigere unanimum Consilii consensum. Concordant alii Consultores.

Iuxta Rev.mum primum Consultorem bene distinguendum est inter licentiam manendi extra Institutum et indultum exlastrationis. Respondeat Exc.mus sextus Consultor hoc non esse facile, praesertim pro legislatione generali. Si vero res ita se habeat, sequitur Rev.mus primus Consultor, attente perpendatur oportet clausula finalis: «caret tamen voce activa et passiva»; si enim exiit ad aliquam Instituti missionem adimplendam, tunc non potest carere voce.

Rev.mus secundus Consultor difficultatem adesse existimat in definienda vita extra Institutum: quid, ex. gr. si agatur de studentibus, vel de parochis religiosis, etiam monachis? Rev.mus decimus Consultor censem normas pro monachis, in hac momentosa quaestione, in parte speciali dandas esse.

Quoad can. 3, Rev.mus quartus Consultor proponit conceptum *quiescentiae* iurium et obligationum. Iuxta hanc animadversionem, Rev.mus duodecimus Consultor sequentem emendationem suggerit: «... sodali concedere potest ut eius integra cooptatio, non tamen ultra triennium quiescat, firmis scilicet sacris ligaminibus, suspensis e contra obligationibus...».

Rev.mus quintus Consultor mavult ut loco «iustis et rationalibus de causis» dicatur «gravi de causa», quod approbatur.

Rev.mus Relator hanc formulam proponit: «... sodali licentiam concedere potest, non tamen ultra triennium, ut ipse, firmis sacris ligaminibus, vitam agat extra Institutum exoneratus ab obligationibus quae cum sua nova vitae conditione componi non possunt».

Iuxta petitionem Rev.mi decimi Consultoris, placet ut expungatur verbum *licentiam*.

Proponente ipso Rev.mo Relatore, placet omnibus ut addatur:

«... sodali *definitive cooptato* concedere potest...».

Vult etiam Rev.mus nonus Consultor ut supprimantur verba «extra Institutum», quod vero a maioritate non approbatur.

Neque placet ut verba «caret tamen voce activa et passiva» ponantur post «non possunt», uti postulatum fuerat a Rev.mo primo Consultore.

Ponit demum quaestionem de militibus ipse Rev.mus primus Consultor. Respondet tamen Rev.mus quartus Consultor hac de re agendum esse in parte speciali, quia norma danda non congrueret pro Institutis saecularibus.

Expletur ita disceptatio de can. 3, qui sub hoc textu approbatur:

«Supremus Instituti Moderator, auditio Consilio, gravi de causa sodali definitive cooptato concedere potest, non tamen ultra triennium, ut ipse, firmis sacris ligaminibus, vitam agat extra Institutum exoneratus ab obligationibus quae cum sua nova vitae conditione componi non possunt. Sodalitis huiusmodi sub cura moderatorum suorum manet; caret tamen voce activa et passiva».

### *Can. tertius (bis)*

Nova haec formula a Relatore proponitur:

«§ 1. Qui expleto cooptationis tempore ab Instituto egredi voluerit, ad ius quod attinet illud libere derelinquere potest.

§ 2. Qui autem Institutum derelinquere petit perdurantibus sacris ligaminibus temporariis, a Supremo moderatore de consensu Consilii, gravi de causa, consequi potest indultum definitive ab Instituto discedendi, quo legitime acceptato solvitur a votis vel aliis sacris ligaminibus necnon ab omnibus obligationibus a cooptatione ortis».

Postulantibus Rev.mis quarto et primo, placet omnibus Consultoribus ut expungantur in § 1 verba «ad ius quod attinet» et «libere». Verba enim «ad ius quod attinet» introducta fuerant ad innuendam permanentiam obligationis moralis ex vocatione ortae, quod tamen per se patet, nec recolendum est in textu iuridico.

Iuxta petitionem Exc.mi tertii Consultoris, approbatur quoque ut § 2 sic incipiat: «Qui *perdurante cooptatione temporanea*, gravi de causa Institutum...».

Approbatur ergo textus canonis, qui sic sonat:

« § 1. Qui expleto cooptationis tempore ab Instituto egredi voluerit, illud derelinquere potest.

§ 2. Qui perdurante cooptatione temporanea, gravi de causa Institutum derelinquere petit, a Supremo moderatore de consensu Consilii consequi potest indultum definitive ab Instituto discedendi, quo legitime acceptato solvit a votis vel aliis sacris ligaminibus necnon ab omnibus obligationibus e cooptatione ortis».

Iuxta petitionem Rev.mi quarti Consultoris, approbatur quoque a maioritate Consultorum ut in Art. III, ubi de dimissione sermo fit, agatur de non admittendo ad renovationem cooptationis.

*Can. tertius (ter)*

Haec est redactio quam Rev.mus Relator proponit:

« Supremus Instituti Moderator, de consensu sui Consilii secreto suffragio manifestato, sodali definitive cooptato et illud petenti concedere potest, gravissimis de causis coram Domino perpensis, indultum perpetuae ab Instituto separationis. Vota autem vel alia sacra ligamina necnon obligationes a cooptatione ortae ipso iure cessant acceptatione legitima indulti».

Animadvertisit ipse Rev.mus Relator huius canonis ultima verba (« Vota autem... indulti) transferanda esse in novum canonem de indulto separationis, prout postulatum est a Rev.mis quarto et decimo Consultoribus.

Desiderat quoque Rev.mus quartus Consultor ut melius pateat differentia quoad separationem inter definitive cooptatos et temporarie cooptatos. Relate ad primos, requirendus videtur consensus omnium membrorum Consilii, vel saltem maioris eorum partis.

Proponit ideo Rev.mus Relator ut pro temporarie cooptatis requiratur solummodo ut Consilium audiatur, sed hoc non placet.

Discussio fit de hac re, et placet demum ut ad hoc requiratur speciale consilium ad normam iuris particularis constitutum. Iis attentis, Rev.mus Relator novum textum proponit, sub dupli formulatione

*Can. tertius (ter), prima formula*

« Sodalis definitive cooptatus, qui indultum discedendi ab Instituto petit ob gravissimas causas coram Domino perpensa, illud obtinere potest a

Supremo Moderatore de consensu, secreto suffragio manifestato, proprii Consilii, quinque (septem?) saltem membris praesentibus et suffragantibus, compositi».

*Can. tertius (ter), alia formula*

«§ 1. Sodalis definitive cooptatus, qui, ob causas gravissimas coram Domino perpensa, indultum discedendi ab Instituto petit, illud a Supremo Moderatore obtinere potest.

§ 2. Ad indultum, de quo in § 1, valide concedendum, Supremus Moderator indiget consensu Consilii ad hoc constituti ad normam iuris particularis quod saltem quinque (septem?) sodalibus (gravioribus), praesentibus et per secretum suffragium votantibus, constet».

*vel*

«§ 2. Ad indultum, de quo in § 1, valide concedendum Supremus Moderator indiget consensu specialis Consilii quinque (vel septem) Sodalium graviorum, ad normam iuris particularis constituti, qui praesentes sint et secretum suffragium ferant».

In genere, magis placet secunda formula, de qua igitur disceptatio fit.

Exc.mi sextus et tertius Consultores expedire non censem ut speciale Consilium ad hoc constituatur, quia organa non sunt multiplicanda. Rev.mus Relator et alii censem nihil obstare quominus ad hoc negotium competens sit Consilium ordinarium, dummodo ipsum constet numero determinato membrorum. Praeterea pro monachis norma specialis dari potest, quia Consilium multis membris constare solet.

Rev.mus duodecimus Consultor hanc redactionem suggerit:

«§ 2. Ad indultum de quo in § 1 valide concedendum, Supremus Moderator indiget consensu sui Consilii, quod ad casum saltem quinque membris constare debet, ita ut deficientibus vel absentibus consiliariis ordinariis alii ad normam iuris particularis advocentur; consensus huiusmodi secreto suffragio manifestari debet».

Exc.mus sextus Consultor mavult ut Consilium competens quoad hoc negotium sit exclusive Consilium ordinarium, quod quidem omnia negotia, sine ulla exclusione, pertractare potest. Servanda tamen videtur formula a Rev.mo duodecimo Consultore proposita, quia, ut ait Rev.mus Relator, congruit ut saltem quinque consiliarii adsint circa rem pro qua prius Sanctae Sedis consensus requirebatur.

Suffragatur ergo textus canonis, qui approbatur sub hac formula:

« § 1. Sodalis definitive cooptatus, qui indultum discedendi ab Instituto petit, ob causas gravissimas coram Domino perpensa, illud a Supremo Moderatori obtinere potest.

§ 2. Ad indultum de quo in § 1 valide concedendum Supremus Moderator indiget consensu sui Consilii, quod ad casum saltem quinque membris constare debet, ita ut deficientibus vel absentibus consiliariis ordinariis alii ad normam iuris particularis advocentur; consensus huiusmodi secreto suffragio manifestari debet ».

*Can. novus (tertius quater)*

Attentis iis quae antea dicta sunt, Rev.mus Relator hunc textum proponit:

« Indulta discedendi ab Instituto, in scriptis a sodali acceptata, secumferunt ipso iure solutionem a sacris ligaminibus necnon ab aliis obligatiis e cooptatione ortis ».

Hic canon ab omnibus approbatur.

*Can. quartus*

Hic est textus propositus:

« § 1. Sodalis qui a praescripta communione Instituti necnon a potestate moderatorum sese subducit sollicite ab eisdem moderatoribus requiratur ut in sua vocatione perseveret.

§ 2. Quod si post duas monitiones canonicas non redierit intra tempus a iure particulari praescriptum, numquam trimestre brevius, decreto Supremi Moderatoris ab Instituto dimittatur ».

Prima paragraphus placet, sed duae fiunt emendationes: *a)* loco «communione Instituti» dicatur «communione cum Instituto»; *b)* loco «requiratur» dicendum est «quaeratur».

Quoad § 2, Exc.mus sextus Consultor considerandum quoque esse censem casum quo monitiones fieri non possint. Ideo, proponente Rev.mo Relatore, quaedam emendationes fiunt, et canon sub hoc textu approbatur:

« § 1. Sodalis qui a praescripta communione cum Instituto necnon a potestate moderatorum sese subducit sollicite ab eisdem moderatoribus quaeratur et adiuvetur ut in sua vocatione perseveret.

§ 2. Quod si intra tempus a iure particulari praescriptum, numquam trimestre brevius, duae monitiones in cassum cesserint vel sodalis non redierit, decreto Supremi Moderatoris de consensu sui Consilii ab Instituto dimittatur ».

Expleta igitur disceptatione, preces de more dicuntur atque huic X<sup>ae</sup> Sessioni studii finis imponitur.

Romae, 12 decembris 1970.

I. HERRANZ

*Actuarius*

CANONES IN X<sup>a</sup> SESSIONE STUDII APPROBATI

Tit. VI: DE OBLIGATIONIBUS INSTITUTORUM EORUMQUE SODALIUM

*Can. primus*

Praecipuum cuiusvis Instituti officium est suam in Christo et in Ecclesia vocationem agnoscere, indolem suam peculiarem iuxta Fundatorum spiritum fideliter servare propriaque proposita, attentis temporum conditionibus, sedulo prosequi.

*Can. secundus*

Sodales mente recolant se professione consiliorum evangelicorum vocationi divinae responsum dedisse, adeo ut, magis magisque ab iis quae caritatis fervorem minuere possunt liberati, Deo Eiusque regno solum vivere teneantur.

*Can. tertius*

Sodales Christi sequelam in Evangelio propositam tanquam supremam vitae regulam habeant.

*Can. quartus*

Sodalibus omnibus officium incumbit impense diligenterque cooperandi in aedificationem Corporis Christi iuxta propriam uniuscuiusque Instituti vocationem. Sollicite igitur attendant ut per ipsos Ecclesia Christum mundo in dies melius commonstret, vel in monte contemplantem, vel Regnum Dei annuntiantem, vel inter homines conversantem eorumque necessitatibus occurrentem, semper autem voluntati Patris qui eum misit oboedientem.

*Can. quintus*

§ 1. Quocumque Institutum, attentis natura et indole propriis, modum quo consilia evangelica castitatis, paupertatis et oboedientiae servari debent, in propria ratione vivendi iure particulari definiat.

§ 2. Sodales vero omnes debent, non solum consilia evangelica fideliter integreque servare, sed etiam secundum propria statuta vitam compонere atque ita ad perfectionem sui status contendere.

*Can. sextus*

§ 1. Rerum divinarum contemplatio et assiduum cum Deo commercium sodalibus servitio Dei et Ecclesiae consecratis veluti cibus cotidianus esto.

§ 2. Sedulo igitur sodales divinarum Scripturarum lectioni vacent, sae-  
crae Liturgiae celebrationem participant, orationem sive mentalem sive vo-  
calem colant, annua sacri recessus tempora necnon alia exercitia spiritualia  
servent, ad normam iuris particularis.

*Can. septimus*

§ 1. Sodalibus enixe commendatur ut cotidie sacrificio Eucharistico  
participant iuxta suam cuiusque conditionem, Sanctissimum Corpus Chri-  
sti recipientes.

§ 2. Ad Poenitentiae sacramentum frequentem accedant iuxta normas  
iuris particularis et consilia proprii moderatoris spiritus.

§ 3. Aliis insuper mediis, supernaturalibus et naturalibus, ad vitam spiri-  
tualem fovendam aptis utantur sodales tam communibus quam Instituto  
propriis; potissimum vero conscientiam suam discutiant, sanctissimum Sa-  
cramentum visitent et Deiparam Virginem, etiam mariano rosario, colant.

*Can. octavus*

Sodales fraterna communione, in caritate radicata et fundata, alii  
exemplo sint universalis in Christo reconciliationis; pariter in modo sese  
gerendi mansuetudinem et modestiam Christi commonstrent.

## Tit. VII: DE SEPARATIONE AB INSTITUTO

Art. I: *De transitu ad aliud Institutum**Can. primus*

§ 1. Sodalis nequit a proprio in aliud Institutum transire nisi de con-  
sensu Supremi Moderatoris utriusque Instituti cum suffragio deliberativo  
sui cuiusque Consilii.

§ 2. Ius autem particulare definiat probationis tempus et modum, qua  
probatione peracta sodalis ad novam cooptationem admittatur ad normam  
statutorum.

§ 3. Qui momento transitus definitive erat cooptatus, post peractam probationem definitive cooptetur in novo Instituto; qui vero non definitive cooptatus erat temporaria assumat vincula saltem per triennium duratura.

*Can. secundus*

§ 1. Usque ad novam cooptationem, manentibus sacris ligaminibus, iura et obligationes particulares quae sodalis in priori Instituto habebat, suspensa manent; ab incopta tamen probatione sodalis statutis novi Instituti tenetur.

§ 2. Si ad cooptationem non admittatur aut ipsem eam renuat, sodalis ad pristinum Institutum redire tenetur, nisi dispensationem a ligaminibus obtainuerit aut praecedentis cooptationis tempus iam expiraverit.

§ 3. Per cooptationem sodalis novo Instituto incorporatur, cessantibus sacris ligaminibus, iuribus et obligationibus praecedentibus.

*Art. II: De egressu ab Instituto**Can. tertius*

Supremus Instituti Moderator, auditio Consilio, gravi de causa sodali definitive cooptato concedere potest, non tamen ultra triennium, ut ipse, firmis sacris ligaminibus, vitam agat extra Institutum exoneratus ab obligationibus quae cum sua nova vitae conditione componi non possunt. Sodalis huiusmodi sub cura moderatorum suorum manet; caret tamen voce activa et passiva.

*Can. tertius (bis)*

§ 1. Qui expleto cooptationis tempore ab Instituto egredi voluerit, il lud derelinquere potest.

§ 2. Qui perdurante cooptatione temporanea, gravi de causa Institutum derelinquere petit, a Supremo moderatore de consensu Consilii consequi potest indultum definitive ab Instituto discedendi, quo legitime acceptato solvitur a votis vel aliis sacris ligaminibus necnon ab omnibus obligationibus e cooptatione ortis.

*Can. tertius (ter)*

§ 1. Sodalis definitive cooptatus, qui indultum discedendi ab Instituto petit, ob causas gravissimas coram Domino perpensas, illud a Supremo Moderatoro obtinere potest.

§ 2. Ad indultum de quo in § 1 valide concedendum Supremus Moderator indiget consensu sui Consilii, quod ad casum saltem quinque membris constare debet, ita ut deficientibus vel absentibus consiliariis ordinariis alii ad normam iuris particularis advocentur; consensus huiusmodi secreto suffragio manifestari debet.

*Can. tertius (quater)*

Indulta discedendi ab Instituto, in scriptis a sodali acceptata, secumferunt ipso iure solutionem a sacris ligaminibus necnon ab aliis obligationibus e cooptatione ortis.

*Can. quartus*

§ 1. Sodalis qui a praescripta communione cum Instituto necnon a potestate moderatorum sese subducit sollicite ab eisdem moderatoribus quaeratur et adiuvetur ut in sua vocatione perseveret.

§ 2. Quod si intra tempus a iure particulari praescriptum, nunquam trimestre brevius, duae monitiones in cassum cesserint vel sodalis non redierit, decreto Supremi Moderatoris de consensu sui Consilii ab Instituto dimittatur.

Romae, 12 decembris 1970.

## Adnexum

## RELATIO OCTAVA

## Tit. VI: «DE OBLIGATIONIBUS INSTITUTORUM EORUMQUE SODALIUM»

Canones huius Tituli VI Primae Partis Schematis Generalis iam fuerunt propositi in mea Septima Relatione Introductiva (cf. p. 13 et seq.).<sup>1</sup> In ultima tamen Coetus nostri Studiorum sessione, diebus 25-30 maii 1970 habita, Rev.mi Consultores schema canonum propositum potuerunt examinare solum «quoad eius generalia lineamenta» (cf. relationem Conclusivam Sessionis Nonae, p. 16)<sup>2</sup> ob temporis penuriam. In summario tamen examine Coetus quasdam tulit decisiones, nempe: *a*) nihil dicendum in hac parte de obligationibus ex singulis consiliis evangelicis profluentibus, quae determinandae relinquuntur iuri particulari institutorum; *b*) placere ordinem canonum ab Exc.mo duodecimo Consultore propositum; *c*) non placere ut canon novus formuletur circa obligationem laboris; *d*) quoad substantiam placere lineamenta generalia can. 9 in schemate propositi (cf. Relationem Conclusivam Sessionis Nonae, p. 17).<sup>3</sup>

His in mentem Rev.morum Consultorum revocatis, opportunum non duco hic repetere considerationes introductivas schemati canonum Tituli VI praepositas (cf. Septimam Relationem Introductivam, pp. 13-15).<sup>4</sup> Sufficit tantum declarare canones huius Tituli VI statuere solummodo obligationes omnino generales institutorum perfectionis eorumque sodalium. Aliis verbis, his canonibus imponuntur dumtaxat obligationes quae omnibus indiscriminatim institutis perfectionis eorumque sodalibus conveniunt, quia obligationes huiusmodi oriuntur ex facto quod instituta sunt «instituta perfectionis» et non «talia instituta perfectionis». Obligationes speciales alicuius categoriae institutorum perfectionis, ut puta monachorum, includendae non sunt in hac parte generali schematis, sed relinquendae sunt pro secunda parte schematis seu pro Parte Speciali. Obligationes vero peculiares alicuius instituti perfectionis necessario statui et determinari debent in iure particulari eiusdem instituti, attentis indole et fine ipsius.

Decisio Coetus nihil statuendi in hac parte de obligationibus quae ex singulis evangelicis consiliis oriuntur suam invenit rationem in maxima

<sup>1</sup> Cf. *Communicationes*, XXVI, 1994, 227-233.

<sup>2</sup> Cf. *ibidem*, p. 212.

<sup>3</sup> Cf. *ibidem*, p. 213

<sup>4</sup> Cf. *ibidem*, pp. 227-228.

difficultate quidquam imponendi quod ab omnibus institutis et sodalibus observari posset absque incommodo pro aliquibus sodalibus vel detrimen-to pro aliquo instituto. Determinatio namque modi quo consilia evangelica, potissimum vero paupertatis et oboedientiae, observari debent, non pa-rum pendet a natura, indole et fine cuiusque instituti et quodammodo etiam ab adiunctis socialibus in quibus institutum et sodales vivunt et ope-rantur (cf. Decr. *Perfectae Caritatis* nn. 1-3). Quapropter determinatio haec iuri particulari cuiusque instituti relinquenda videtur. Nemo enim obser-vantiam consiliorum evangelicorum, quae tamen semper integrum eorum substantiam et spiritum continere debet, naturae, indoli, fini aliisque insti-tuti adiunctis melius accommodare potest quam ipsa auctoritas suprema eiusdem instituti in propriis statutis. Cum tamen determinatio huiusmodi sit negotium maximi momenti pro instituto et pericula errorum vel exag-gerationis non desint, ordinarie haec determinatio non tantum reservatur supremae in instituto auctoritati sed etiam exigit approbationem Auctori-tatis Superioris competentis.

Quoad structuram Tituli VI conferantur quae scripsi per modum in-troductionis ad canones eiusdem Tituli VI in Septima Relatione Introductiva, una cum correctionibus ab Exc.mo duodecimo Consultore propositis et a Coetu Studiorum acceptatis (cf. Relationem Conclusivam Sessionis Nonae, pp. 16-17).<sup>1</sup>

## SCHEMA CANONUM

### CANON PRIMUS

Praecipuum cuiusvis Instituti officium est suam in Christo et in Eccle-sia vocationem agnoscere, indolem suam peculiarem iuxta Fundatorum spiritum fideliter servare propriaque proposita, attentis temporum condi-tionibus, sedulo prosequi.

#### *Notae:*

- 1) Iuxta placita Coetus Studiorum et commendationem Exc.mi duodecimi Con-sultoris, § 1 canonis primi schematis in praecedenti Sessione propositi in canonem primum distinctum est conversa. Textus vero iam a parvo Coetu approbatus non est mutatus.

<sup>1</sup> Cf. *Communicationes*, XXVI, 1994, pp. 212-213.

2) Verba fere omnia istius canonis desumpta sunt ex Decr. Conc. *Perfectae Caritatis*, nn. 1-2. Praescriptum non indiget iustificatione quia luce clarior est obligatio cuiusvis instituti agnoscendi propriam vocationem et servandi spiritum in institutum infusum a Fundatore et totis viribus procurandi ut finis instituti a sodalibus consequatur per activitatem eidem fini et indoli instituti consonam.

### CANON SECUNDUS

Sodales mente recolant se professione consiliorum evangelicorum vocationi suae responsum dedisse, adeo ut, ab impedimentis quae caritatis fervorem minuere possunt liberati, Deo Eiusque regno solum vivere teneantur, iuxta propriae vocationis gratiam.

*Notae:*

1) In schemate proposito in praecedenti Sessione canon iste apparebat tamquam § 2 primi canonis. Iuxta decisionem Coetus Studiorum duae paragraphi nunc apparent tamquam duo canones distincti ad hoc ut in lucem melius ponantur distinctae obligationes tam institutorum quam sodalium.

2) Etiam verba huius canonis ex Decreto *Perfectae Caritatis* deprompta sunt (cf. n. 5). Nullum adest dubium quin omnes sodales institutorum perfectionis obligatione adstringantur continuo prae oculis habendi actum consecrationis servitio divino ab ipsis peractum momento cooptationis in instituto et simul contendendi ad acquisitionem perfectionis caritatis, iuxta spiritum et indolem instituti cui pertinent.

### CANON TERTIUS

Sodales tamquam supremam vitae regulam Christi sequelam in Evangelio propositam habeant.

*Notae:*

1) In praecedenti schemate canon iste eumdem inveniebat locum in ordine canonum.

2) Post praescriptum praecedentis canonis quo sodalibus imponitur ut numquam obliviscantur se esse Dei servitio dicatos per professionem consiliorum evangelicorum et se obligationem suscepisse vitam ducendi quae ad perfectionem caritatis conducit, additur nunc haec alia generalis norma: perfectio caritatis attingi non potest nisi per sequelam Christi, prout nobis indicatur in Evangelio. Haec norma potest vocari via regia perfectionis et omnia instituta satagere debent ut vita quae in propriis statutis exprimitur et ordinatur meliore quo fieri potest modo Christi sequelam praeseferat, attentis utique exigentiis vocationis et charismatis eiusdem instituti. «Cum vitae religiosae ultima norma sit Christi sequela in Evangelio proposita, haec

ab omnibus institutis tamquam suprema regula habeatur... Cum vita religiosa ante omnia ad hoc ordinetur ut sodales Christum sequantur et Deo uniantur per professionem consiliorum evangelicorum...» (Decr. *Perfectae Caritatis*, n. 2, a, e). Si Rev.mis Consultoribus placuerit, norma forsan utiliter extendi potest etiam institutis et non tantum sodalibus, sicut apparet ex textu citato Decreti Conciliaris *Perfectae Caritatis*.

#### CANON QUARTUS

Sodalibus omnibus officium incumbit impense diligenterque cooperandi in aedificationem Corporis Christi iuxta propriam Institutorum vocationem. Attendant igitur ut per ipsos Ecclesia Christum mundo in dies melius commonstret, vel in monte contemplantem, vel Regnum Dei annuntiantem, vel inter homines conversantem eorumque necessitatibus occurrentem, semper autem voluntati Patris qui eum misit oboedientem.

#### *Notae:*

- 1) Etiam hic canon, iam a parvo Coetu Consultorum approbatus, in praecedenti schemate tamquam canon quartus apparebat. Iuxta commendationem Exc.mi duodecimi Consultoris haec norma hunc locum occupare debet ad hoc ut habeatur logica sequela. In canone praecedenti considerantur relationes sodalium institutorum perfectionis ad Dominum Christum, dum in hoc canone obligationes eorumdem statuuntur erga Corpus Mysticum Christi seu erga Ecclesiam, attenta vocatione tam institutorum quam sodalium de qua agitur in primis duobus canonibus supraposisitis.
- 2) In verbis huius canonis conatum feci exprimendi pulcherrimam doctrinam in Concilio Vaticano II pluries et fortiter propositam circa sollicitudinem pro bono Ecclesiae et animarum quam omnes sodales cuiuscumque instituti perfectionis habere debent et quidem ex propria vocatione et professione (cf. Const. Dogm., *Lumen Gentium*, Caput VI, nn. 43-47; Decr., *Christus Dominus*, nn. 33-35; Decr., *Perfectae Caritatis*, passim). Prima verba canonis desumpta sunt ex Decr., *Christus Dominus*, n. 33. Alia autem fere ad verbum inveniuntur in Const. Dogm., *Lumen Gentium*, n. 46. Quamvis proposita seu fines et opera institutorum sint admodum diversa, scopus tamen supremus eorum unicus est, ut nempe per sanctam vitam sodalium Christum sequantium Ecclesia possit mundo proponere Redemptorem et Salvatorem.

#### CANON QUINTUS

§ 1. Quodcumque Institutum, attentis natura et indole propriis, modum quo consilia evangelica castitatis, paupertatis et oboedientiae servari debent, in propria ratione vivendi iure particulari definiat.

§ 2. Sodales vero omnes debent, non solum consilia evangelica fideliter integreque servare, sed etiam secundum propria statuta vitam compонere atque ita ad perfectionem sui status contendere.

*Notae:*

1) Canon iste, qui in schemate praecedenti secundum occupabat locum, fit canon quintus novi schematis iuxta decisionem Coetus Studiorum in ultima sessione latam ad ordinem magis logicum instituendum inter canones huius Tituli VI.

2) Praescriptum § 1 huius canonis videtur esse logica consequentia canonis primi supra positi. Ibi dicitur quod praecipuum officium cuiusvis instituti perfectionis est agnoscere propriam vocationem, fideliter servare indolem propriam iuxta spiritum Fundatoris et ad finem proprium sedulo tendere. Cum autem agatur de instituto perfectionis necessario requiritur professio consiliorum evangelicorum, quorum tamen observatio, in accidentalibus, differre potest et debet propter naturam, indolem et scopum diversum institutorum. Propterea necessarium est ut ius particulare cuiuslibet instituti determinet modum observationis Consiliorum evangelicorum iuxta exigentias cuiusvis instituti.

3) Paragraphus secunda substantialiter refert can. 593, ad sodales tamen omnium institutorum perfectionis extensem. Vita Deo in institutis perfectionis consecrata non potest limitari ad observantiam consiliorum evangelicorum. Secus nulla haberetur differentia inter diversa instituta perfectionis, quod nemo admitteret. Quapropter sodales obligantur etiam statuta particularia instituti fideliter observare. Haec statuta constituunt modum particularem observandi consilia, iuxta dicta in § 1 huius canonis. Ceterum hodie communiter admissum est non dari vocationem ad vitam perfectionis in genere sed ad institutum quoddam particulare.

CANON SEXTUS

§ 1. Rerum divinarum contemplatio et continuum cum Deo commercium sodalibus servitio Dei et Ecclesiae consecratis veluti cibus cotidianus esto.

§ 2. Assidue igitur divinarum Scripturarum lectioni, sacrae Liturgiae celebrationi atque orationis mentalis et vocalis cultui vacent iuxta praescripta iuris particularis.

§ 3. Statuat insuper ius particulare annua sacri recessus tempora nec non alia periodica exercitia spiritualia.

*Notae:*

1) Agitur in hoc canone, qui tamquam canon octavus in anteriore schemate in scriptus erat, de obligationibus quae oriuntur ex intima animi exigentia vitam spiri-

tualem nutriendi mediis magnopere commendatis a magistris vitae spiritualis. Atta-  
men obligationes huiusmodi non possunt dici reservatae vel restrictae sodalibus insti-  
tutorum perfectionis, quia omnibus christifidelibus quammaxime convenient, praesi-  
sertim si unionem cum Deo fovere intendunt. Hic tamen ponuntur tamquam obliga-  
tiones specificae sodalium institutorum perfectionis, quia hi ratione consecrationis  
suae veluti ex professo obligantur adhibere media magis apta ad altam contemplatio-  
nem rerum divinarum attingendam et ad intimum et continuum cum Deo commer-  
cium habendum.

2) His nostris temporibus non pauci, etiam inter sodales institutorum perfectio-  
nis, contagio activismi exaggerati infecti, putant contemplationem fere inutilem esse.  
Aliter tamen putant Patres Concilii qui tamquam primum finem vitae Deo consecra-  
tiae ponunt Christum commonstrare in monte contemplantem (cf. Const. Dogm. *Lumen Gentium*, n. 46). « Qui evangelica consilia profitentur... fovere studeant vitam ab-  
sconditam cum Christo in Deo... Quapropter institutorum sodales spiritum orationis  
et orationem ipsam, haurientes e germanis spiritualitatis christianaे fontibus assiduo  
studio colant (Decr. *Perfectae Caritatis*, n. 6; cf. etiam n. 7). En ratio ponendi hanc 1 §.

3) In § 2 quaedam potiora media enumerantur, a sodalibus cum assiduitate adhibi-  
benda, ut ad contemplationem et unionem cum Deo pervenire possint. Emphasis po-  
nitur in lectione S. Scripturae a Patribus Concilii admodum commendata.

4) Quoad exercitia spiritualia opportunum visum est imponere tantum obligatio-  
nem annui recessus (cf. can. 595, § 1, 1º). Ceterae determinationes iuri particulari re-  
linquuntur.

#### CANON SEPTIMUS

§ 1. Sodalibus enixe commendatur ut cotidie sacrificio Eucharistico  
participent iuxta suam cuiusque conditionem, sanctissimum Corpus Chri-  
sti recipentes.

§ 2. Ad Poenitentiae sacramentum frequenter accedant iuxta pree-  
scripta iuris particularis et consilia proprii moderatoris spiritus.

§ 3. Aliis insuper mediis supernaturalibus et naturalibus suo scopo ap-  
tis utantur sodales tam communibus quam Instituto propriis; potissimum  
vero conscientiam suam discutiant, sanctissimum Sacramentum visitent et  
Deiparam Virginem, praesertim mariano rosario, colant.

#### *Notae:*

1) Ut iam dictum est in notis introductorii, lineamenta generalia huius canonis  
iam approbata sunt in ultima Coetus Studiorum sessione.

2) Agitur in canone de praecipuis mediis ordinariis et omnibus sodalibus cuiusvis  
instituti commode prostantibus quibus vita supernaturalis nutritur et roboratur. Hoc

valet praecipue de receptione sacramentorum, sed alia exercitia pietatis, quae hic non minantur vel modo generali indicantur, minime sunt despicienda. In canone quedam gradatio fit secundum valorem et efficaciam mediorum. Primus locus reservatur participationi Sacrificio Eucharistico et S. Communioni, deinde fit transitus ad sacramentum Poenitentiae et tandem ad quedam pietatis exercitia magis nota et traditionalia. Haec ultima per modum exempli et commendationis posita sunt, quia etiam in hac re nulla intentio habetur coarctandi libertatem seligendi exercitia quae magis consona videantur cum indole instituti vel cum charactere sociali populi.

3) Ad canonem formulandum recursum feci praesertim ad can. 595 Codicis Iuris Canonici et partim ad Schema canonum iam approbatum ab alio Coetu Studiorum. Schema hoc agit de materia simili, nempe: « De clericorum obligationibus et iuribus ». Can. 125 huius schematis plura similia praecripta continent.

#### CANON OCTAVUS

Sodalium fraterna communio, in caritate radicata et fundata, aliis exemplo sit universalis in Christo reconciliationis. Omnes autem in modo sese gerendi modestiam proprii status et mansuetudinem Christi commonstrent.

#### Notae:

1) Hoc ultimo canone huius Tituli VI sodalibus memoratur obligatio non levis omnium membrorum institutorum perfectionis ut per observantiam consiliorum evangelicorum et per propriam vitam sanctam sint illud signum de quo loquuntur Pates Conciliares (cf. Const. Dogm. *Lumen Gentium*, n. 44).

2) Fraterna caritas inter sodales institutorum, potissimum si communem vitam colant, optimum testimonium fidelibus et mundo reddit atque supereminente... magnitudinem virtutis Christi regnantis atque infinitam Spiritus Sancti potentiam, in Ecclesia mirabiliter operantem», demonstrat.

3) Iam supra in canone quarto obligatio sodalibus imponitur Ecclesiam adiuvandi ut omnibus Christum melius monstrare possit, praesertim per observantiam consiliorum evangelicorum. Hic fere eadem obligatio repetitur quae tamen adimpleri debet potius per externum modum sese gerendi in relationibus cum mundo.

#### Tit. VII: « DE SEPARATIONE AB INSTITUTO »

Expletis quae statuenda erant circa obligationes institutorum eorumque sodalium in Titulo VI, transitus debuisset fieri ad examen canonum Tituli VIII Schematis Generalis, cuius titulus est: « De voluntaria separatione ab Instituto ». Nam, in Sessione nona seu praecedenti nostri Coetus

Studiorum decisio lata est ab omnibus Rev.mis Consultoribus expungendi a parte prima Schematis Generalis Titulum VII: « De Institutorum actione apostolica ». Ratio huius expunctionis est quia titulus ansam praebet aequivocationi (cf. Relationem conclusivam Sessionis 9<sup>ae</sup>, p. 3).<sup>1</sup> Licet omnia instituta et omnes eorum sodales cooperare debent impense et diligenter ad aedificationem Corporis Christi iuxta propriam vocationem, ut dictum est supra in can. 4 Tituli VI, actio tamen apostolica non omnibus categoriis institutorum convenit, eo saltem sensu quo haec expressio communiter intelligitur. Ita, instituta mere contemplativa, etsi quammaxime conferant pro bono communi Ecclesiae, non exercent actionem apostolicam sensu supradicto.

Coetus tamen restrictus Rev.morum Consultorum universam materiam quae tractari debet in Titulis VIII et IX Schematis Generalis attente considerans, venit in determinationem totam hanc materiam in unicum titulum ponendi sequentia ob motiva: *a)* indubitanter materia quae tractari deberet in Titulo VIII Schematis Generalis: « De voluntaria separatione ab Instituto » et in Titulo IX eiusdem Schematis: « De dimissione ab Instituto », sub unico titulo poni potest propter genericam identitatem suam. Quamquam longe differunt inter se transitus sodalis ab uno instituto ad aliud, voluntarius egressus eius ab instituto et eius dimissio ab eodem, tamen in quolibet casu agitur de separatione sodalis ab instituto; *b)* in Codice Iuris Canonici Legislator dividit in titulos distinctos praescripta quae respiciunt transitum sodalium ad aliam religionem (Lib. II, Tit. XIV) ab eis quae respiciunt egressum e religione (Lib. II, Tit. XV) et dimissionem religiosorum (Lib. II, Tit. XVI), quia legislationem sat amplam et minutam voluit statuere, praesertim quod spectat ad dimissionem religiosorum iuxta diversas categorias (cf. cann. 646-672). In praxi tamen legislatio huiusmodi necessitatibus institutorum non respondet, uti experientia patet. « Disciplina in Codice statuta — scribebam per modum commentarii ad novum Schema Generale, Tit. IX — potissimum quoad dimissionem sodalium qui vota sollemnia nuncuparunt in religione clericali exempta, nimis implicata appareat. Si sodalis huiusmodi voluntarie institutum derelinquere non velit, in praxi erit fere impossibile illum dimitttere. Processus iudicialis de quo agitur in Cap. III, Tituli XVI, Libri II Codicis exigit peritos in re processuali, et quidem in hac speciali sectione, qui in paucissimis institutis inveniri possunt. Consequenter Superiores regulariter renuntiant institutioni huius processus, etiamsi clarum omnino sit illum sodalem ob bonum commune instituti dimittendum esse » (cf. Relationem conclusivam Sessionis Sextae, Adnexum

<sup>1</sup> Cf. *Communicationes*, XXVI, 1994, 200.

I, in. 9, p. 8).<sup>1</sup> Haec rerum conditio in iure novo seu recognito corrigi debet, et salva semper iustitia et libertate sese defendendi ex parte sodalium, disciplina magis expedita et functionalis hac in re statui debet.

Quapropter, Rev.mis Consultoribus parvi Coetus visum est opportunitum imprimis omnes canones hanc materiam ordinantes sub Titulo VII: « De separatione ab Instituto » ponere. Titulum hunc autem in quatuor distinctos Articulos dividere statuerunt prout materia ipsa exigere videbatur, nempe: Art. I: « De transitu ad aliud Institutum »; Art. II: « De egressu ab Instituto »; Art. III: « De dimissione ab Instituto »; Art. IV: « De conditione iuridica separatorum ab Instituto ». Sublatis vero distinctionibus inter diversa instituta quae in Codice motivum constituunt diversam statuendi disciplinam in dimissione sodalium, uti sunt distinctiones inter instituta iuris pontificii et illa iuris dioecesani, inter instituta clericalia et instituta laicalia, inter instituta exempta et non exempta, inter instituta votorum sollemnium et votorum simplicium, inter instituta virorum et illa feminarum, conati sumus quamdam disciplinam statuere quoad dimissionem quae sit simplex et functionalis et simul iura sodalium et institutorum in tuto ponat. Unica distinctio retenta illa est inter dimittendos temporarie cooptatos et illos definitive cooptatos. Rationes quae Consultores moverunt ad has mutationes magni momenti introducendas in systemate a Codice vigenti adoptato partim inveniendae sunt in difficultate adaptandi distinctiones supradictas institutis perfectionis generaliter inspectis aut in necessitate simplificandi disciplinam a Codice adoptatam. Hodie namque difficulter intelligitur quare sodalis in instituto iuris pontificii vel exempti dimitti non possit eadem facilitate qua sodales aliorum institutorum dimittuntur. Insuper in iure recognito, saltem in hac parte generali, sermo fieri non potest de votis sive sollemnibus sive simplicibus, quia post Concilium Oecumenicum Vaticanum II clarum remanet professionem consiliorum evangelicorum publice factam in instituto ab Ecclesia erecto non necessario exigere vota, neque sollemnia neque simplicia, sed sufficere « *sacra ligamina votis propria ratione assimilata* ».

Praeterea, attentis hodiernis socialibus conditionibus et accusationibus adversus Codicem Iuris Canonici factis, in iure recognito admitti nequit ulla discriminatio inter disciplinam quae statuitur, etiam in hac parte, pro institutis virorum et pro institutis mulierum. Haec fuit et est constans praxis nostri Coetus, etsi quaedam pericula errorum et abusuum ex hac unificata disciplina forsitan sequentur, potissimum quando instituta femina sufficientem evolutionem et maturitatem adhuc non attigerunt.

<sup>1</sup> Cf. *Communicationes*, XXV, 1993, 305.

Item, distinctio inter «apostasiā a religione» et «fugam a religione» ansam praebuit non paucis difficultatibus tam in doctrina canonica quam in praxi. Nam, fundamentum distinctionis videtur esse animus discedentis, qui in latebris conscientiae plerumque manet et regulariter non manifestatur. Superior proinde pluries cogitur recurrere ad praesumptionem de qua in can. 644, § 2, quaeque non raro est periculosa quia veritati non respondet. Expressiones deinde «apostata a religione» et «fugitivus a religione» evidenter in ius recognitum introduci non possunt, quia vitam communem in domo necessario exigere videntur, quae hodie non requiritur in omnibus institutis perfectionis. Quapropter decisum est huiusmodi distinctionem abolere et loqui tantummodo de «subductione a potestate moderatoris et a communione praescripta in instituto».

Indulta autem «exlastrationis» et «saecularizationis» prouti iacent in Codice vigenti non videntur servari posse. Imprimis, termini in Codice adhibiti adaptari non possunt omnibus institutis perfectionis eorumque sodalibus. Nam, exlastratio concedi potest ei qui in claustro vivit. Sed non omnia instituta perfectionis formam vitae claustralium habent. Similiter, saecularizatio ei concedi potest qui non vivit in saeculo. Sed plura instituta perfectionis habent «saecularitatem» tamquam notam specificam et eorum membra absque dubio in saeculo vivunt. Praeterea, in praxi hodierna plerumque indultum exlastrationis primum constituit gressum ad indultum saecularizationis obtinendum, licet ex Codice appareat aliam fuisse legis intentionem. Cum autem hodie Moderatores Supremi institutorum amplam habeant potestatem concedendi sodalibus suis facultatem degendi extra domum religiosam ad tempus definitum, non apparent necessitas retinendi indultum exlastrationis, si potestas moderatorum aliquantulum extendatur. Quare Rev.mi Consultores parvi Coetus maluerunt loqui de permissione facta sodali definitive cooptato vitam agendi extra institutum, suspensis obligationibus quae cum hac vitae conditione componi non possunt. Indultum autem saecularizationis mutatum est in «indultum definitivae separationis ab instituto».

Alia quaestio a parvo Coetu examinata et discussa ea est quae spectat ad conditionem eorum qui ab instituto definitive dimituntur. Ad normam can. 669-672 tam dimissus quam institutum dimittens sese inveniunt in conditionibus haud facilibus e quibus non paucae malae sequelae haberi possunt. Dimissus imprimis separatur ab instituto, sed si vota tantum temporaria emiserat, «ipso facto solvit ab omnibus votis religiosis» (can. 648), si vero vota perpetua emiserat, «votis religiosis manet adstrictus, salvis constitutionibus aut Sedis Apostolicae indultis quae aliud ferant» (can. 669, § 1). Non apparent ratio diversitatis praescriptorum in primo et

in secundo casu et quare quaestio tam gravis practice solvi debeat a particularibus statutis institutorum. Immo, ratio sat cogens appetet solvendi a votis vel aliis ligaminibus dimissos qui vota perpetua emiserant, quia isti in novo statu continuo exponentur gravibus periculis transgrediendi proprias obligationes et, nisi dispensentur a Sede Apostolica, novam vitae systemationem sibi procurare non possunt. Verum quidem est, his in casibus, dimensionem fieri ob delicta commissa, sed dimissio iam sufficiens poena aestimari debet et huiusmodi miseri viri et foeminae non debent poni in difficillimis conditionibus. Similiter, poenae statutae pro clero delinquentे in sacris constituto et dimisso ab instituto, de quibus in cann. 670, 671, 1°-6°, sat durae videntur et mitigari debent. Tandem, ad normam can. 672, § 1, dimissus, qui a votis non fuerit solitus, tenetur, si argumenta plenae emendationis per triennium dederit. Haec disciplina, quae probabiliter numquam ad praxim deducta fuit, propter evidentes difficultates iam a Legislatore praevistas, ad hoc tantum inservit ut ponat instituta in pessima conditione iuridica. Quare dimisso ius concedi debeat ut in institutum iterum admittatur non appetet. His rationibus moti, Consultores parvi Coetus, voto unanimo suam manifestarunt opinionem favorablem solutioni a votis vel aliis ligaminibus sacrī pro iis qui ab institutis dimittuntur, sive ipso facto sive per decretum auctoritatis competentis. Quoad primos tamen concordes non fuerunt Rev.mi Consultores circa methodum adoptandam, utrum nempe solutio a votis vel aliis ligaminibus debeat modo automatico fieri ipso facto dimissionis an per actum specialem auctoritatis.

Tandem ad disciplinam novam magis agilem seu, ut dicitur, functionalem reddendam, Rev.mi Consultores parvi Coetus necessarium duxerunt in tota hac parte augmentare potestatem moderatorum internorum institutorum. Frequentissime enim in huiusmodi negotiis imponitur recursus ad Sedem Apostolicam in disciplina statuta a Codice Iuris Canonici (cf. cann. 632, 638, 640, § 2, 641, § 1, 647, § 2, 4°, 650, § 2, 2°, 652, §§ 2-3, 653, 666, 669, § 1, 671, 2°, 7°, 672, §§ 1-2). In praxi tamen plerumque recursus sese resolvit in solutione usuali a competenti S. Congregatione (questione di routine). Et vix aliter fieri potest, quia S. Congregatio non potest qualibet vice specialem investigationem facere et cogiturn fiduciam dare moderatoribus competentibus. Quapropter recursus isti videntur abolendi, facta tamen gravi obligatione ipsis moderatoribus sodalem definitive cooperatum dimittentibus ut imprimis ei dent amplam libertatem sese defendendi sive per se sive per defensorem a se electum et deinde ut eum certiorem faciant de facultate recurrendi ad S. Sedem intra tempus praescriptum adversus decretum dimissionis et quidem cum effectu suspensivo. Ita iura sodalis apparent sufficienter in tuto posita et ceterum S. Congregatio non so-

lum occasione alicuius recursus sed, si ei in Domino videbitur expedire, semper potest informationes petere quas vult vel etiam visitationem quamdam instituere. Hoc ultimum forsan maiorem efficaciam haberet quam in-positionem plurium recursuum.

His praenotatis et expositis, gressus fieri potest ad schema canonum huius Tituli VII proponendum et illustrandum.

## SCHEMA CANONUM

### Art. I: «*De transitu ad aliud Institutum*»

#### CANON PRIMUS

§ 1. Ad transitum sodalium a proprio in aliud Institutum requiritur consensus utriusque Supremi Moderatoris cum suffragio deliberativo respectivi Consilii.

§ 2. Ius autem particulare statuat definitivum probationis tempus, quo exacto, sodalis transiens ad novam cooptationem admitti potest iuxta statuta.

§ 3. Qui momento transitus iam definitive erat cooptatus, post peractam probationem a iure particulari praescriptam, definitive cooptetur in novo Instituto; secus temporaria assumat vincula saltem per triennium duratura.

#### *Notae:*

1) Can. 632 Codicis iuris canonici praescribit: «Religiosus nequit ad aliam religionem, etiam strictiorem, vel e monasterio sui juris ad aliud transire sine auctoritate Apostolicae Sedis». Quando autem huiusmodi transitus a S. Congregatione de Religiosis et Institutis Saecularibus petitur semper conceditur. Unde iste recursus ad S. Se-dem videtur fere inutilis. Deinde hoc negotium transitus, praeter ipsum sodalem, respicere videtur tantummodo duo instituta, nempe illud a quo sodalis egreditur et illud in quod sodalis ingredere vult. Propterea derelinquenda videtur auctorizatio Sedis Apostolicae. Sufficiens cautio providetur per reservationem huius transitus ad Supremos Institutorum Moderatores cum consensu proprii consilii.

2) Cum Decretum *Perfectae Caritatis* n. 22 loquatur de foederationibus inter instituta easque commendare videtur, quaestio de transitu sodalium ab uno instituto foederato ad aliud oriri potest. Cum tamen configuratio huius confoederationis vel

foederationis sit adhuc in phasi initiali, Rev.mis Consultoribus parvi Coetus inopportunum visum est hoc momento rem tractare et potissimum relate ad transitum, cum nihil adhuc praescriptum sit circa ipsam foederationem.

3) Licet Instructio *Renovationis Causam* S. Congregationis de Religiosis et Institutis Saecularibus in peculiari norma n. 38 loquatur potius de sodali qui ad institutum redit postquam illud iam dereliqueret et non praecise de transitu ab uno instituto ad aliud, opportunum appareat similem hic normam statuere pro transitu et mitigare praescriptum can. 633, § 1. Tempus tamen probationis est necessarium et, attenta indele institutorum, in iure particulari definiri debet.

4) § 3 est adaptatio can. 634 ad novas conditiones. Hic non possumus loqui de professione aut de votis, sive sollemnibus sive simplicibus, sed tantum de cooptatione sive temporaria sive definitiva. Qui dumtaxat temporariam cooptationem in primo instituto fecerat, non debet ad cooptationem perpetuam admitti in altero instituto nisi post sufficientem probationem et ideo necessarium videtur imponere in his casibus cooptationem temporariam triennalem, neglecto nempe tempore cooptationis temporariae in primo instituto transacto.

#### CANON SECUNDUS

§ 1. Usque ad novam cooptationem, iura et obligationes quae sodalis in priori Instituto habebat, suspensa manent, ab incopta tamen probatione idem sodalis statutis novi Instituti tenetur.

§ 2. Si ad cooptationem non admittatur aut ipsem eam renuat, sodalis ad pristinum Institutum redire tenetur, nisi interim dispensationem a vinculis obtinuerit aut praecedentis cooptationis tempus expiraverit.

§ 3. Per cooptationem sodalis novo Instituto plene incorporatur, definitive iura et obligationes prioris Instituti amittendo et alterius iura et officia suscipiendo.

#### Notae:

1) In can. 633, § 1 Codicis Iuris Canonici expresse dicitur sodalem transeuntem ad aliud institutum sub votis remanere, etiam perdurante novitiatu iterato, eumque teneri oboedire novis superioribus (et magistro novitiorum) etiam vi voti oboedientiae. In canone tamen recognito evidenter sermo fieri non potest de votis et de oboedientia vi voti oboedientiae. Praeterea doctrina in can. 633, § 1 contenta non omnibus placet, eo quod professio fit in determinato instituto, determinato superiori et iuxta determinatas constitutiones. Quapropter, in novo canone simpliciter et generaliter dicitur, tempore probationis, iura et obligationes prioris instituti suspensa manere et sodalem obligari ad observantiam statutorum alterius instituti et consequenter ad oboedientiam erga novos moderatores.

2) § 2 huius canonis est adaptatio praescripti can. 633, § 2 ut convenire possit sodalibus omnium institutorum perfectionis, addito tamen casu non raro dispensationis, praesertim si sit ipsemet sodalis qui recusat cooptationem facere in novo instituto.

3) In § 3 canonis statuitur effectus iuridicus cooptationis in novo instituto. Etiam hic habetur mera adaptatio normae can. 635, 1º Codicis. Clarum tamen est quod si haec cooptatio in novo instituto sit tantum temporaria, susceptio iurum et obligationum in hoc altero instituto erit ad normam statutorum particularium eiusdem. In hoc casu incorporatio est utique plena, eo sensu quod sodalis relationes cum priore instituto abrumpit, sed non necessario acquirit omnia iura vel suscipit omnes obligationes novi instituti. Hoc dependet a determinatione iuris particularis.

#### Art. II: «DE EGRESSU AB INSTITUTO»

##### CANON TERTIUS

§ 1. Qui expleto cooptationis tempore ab Instituto egredi voluerit, iure illud derelinquere potest.

§ 2. Supremus Moderator, auditio Consilio, iustis et rationabilibus de causis attenta rei gravitate, sodali definitive cooptato concedere potest, non tamen ultra triennium, permissionem vitam agendi extra Institutum, suspensiis obligationibus quae cum hac vitae conditione componi non possunt. Sodalis huiusmodi moderatoribus suis submissus manet, caret tamen voce activa et passiva.

§ 3. Supremus Moderator sodali qui Institutum derelinquere petit, gravissimis de causis coram Domino perpensis, indultum definitivae separationis ab Instituto concedere potest de consensu sui Consilii. Quod indultum secumfert solutionem a votis vel aliis sacris ligaminibus.

##### *Notae:*

1) Paragraphus prima normam omnino claram continet et idem statuit praescriptum a can. 637 impositum in prima eius parte. Additum fuit verbum «iure» ad indicandum quod hic est quaestio de possibilitate discedendi «iuridica». Sub aspectu enim morali et ratione vocationis forsitan receptae, res aliter possunt haberi. Hic igitur legislator considerat tantummodo aspectum iuridicum quaestionis, relinquendo aspectum moralem conscientiae eiusdem sodalis. Can. 637 considerat etiam ius Instituti non admittendi ad renovationem cooptationis temporariae vel ad cooptationem definitivam sodalem cuius cooptatio temporaria iam expiraverat. Nemo certe dubitat de hoc iure institutorum, dummodo iniustitia ne fiat ipsi sodali, sed cum haec recusa-

tio admissionis fere aequivalet dimissioni, forsan melius esset de hoc casu agere ubi de dimissione sodalium erit sermo.

2) Quae in § 2 statuuntur iam supra exposita sunt in notis introductivis ad Titulum VI. In proposito praescripto non fit amplius distinctio inter permissionem quam Supremi Moderatores Religionum Clericalium iuris Pontificii suis subditis dare possunt abeundi a domo religiosa non ultra annum vi Rescripti Pontificii *Cum admotae diei 6 novembris 1964 et id quod in iure codiciali vocatur «Indultum exlastrationis»* (Eadem facultas ac illa concessa Supremis Moderatoribus Religionum Clericalium iuris pontificii, de qua supra, concessa etiam fuit Supremis Moderatoribus Religionum Laicalium tam virorum quam mulierum iuris Pontificii Rescripto S. Congr. de Religiosis et Institutis Saecularibus diei 31 Maii 1966; cf. fac. 4). Ratio ob quam talis distinctio proponitur abolenda est quia in novo canone eadem est Auctoritas quae unam et aliam concessionem facit et quia inter utramque nulla distinctio amplius haberi potest quam illa temporis. Quod autem sodalis extra institutum vitam agens dispensetur ab iis obligationibus quae cum suo novo statu componi non possunt luce clarius est. Immo, forsan nec dispensatio in casu est necessaria, quia hoc est de iure naturae: ad impossibile nemo tenetur. Tandem non appetat ratio cogens ob quam sodalis huiusmodi debeat poni sub auctoritate et vigilantia Ordinarii loci. Sodalis est adhuc membrum instituti et absque necessitate gravi non debet subduci a submissione erga proprios moderatores. Cum tamen in conditionibus peculiaribus inventiarum quae suam plenam communionem cum communitate impediunt, iustum est ut careat voce activa et passiva.

3) Etiam indultum, quod in iure Codicis vocatur «saecularizationis», ponitur in facultate Supremi Moderatoris instituti. Proh dolor, istae petitiones pro dispensatione a sacris vinculis cooptationis factae sunt frequentiores et non appetat res agibilis reservare amplius hanc dispensationem Sedi Apostolicae, quae vix umquam eam denegare potest, praesertim si habeatur commendatio moderatorum internorum. Ad concessionem tamen faciendam requiruntur gravissima motiva mature perpensa a Moderatoro Supremo eiusque Consilio, cuius consensus ad validitatem concessionis requiritur. Item, ut suo loco dicetur, Supremi Moderatores tenentur certiorem facere S. Sedem quolibet anno de huiusmodi dispensationibus concessis. Sicut dicitur in can. 640, § 1, 2°, qui hanc dispensationem consequitur solvit ab omnibus ligaminibus ex cooptatione provenientibus, non vero a sacra Ordinatione, si forte dispensatus sit in sacris.

#### CANON QUARTUS

§ 1. Sodalis qui a praescripta communione Instituti necnon a potestate moderatorum sese subducit sollicite ab eisdem moderatoribus requiratur et adiuvetur ut in sua vocatione perseveret.

§ 2. Quod si post duas monitiones canonicas non redierit intra tempus a iure particulari praescriptum, numquam trimestre brevius, decreto Supremi Moderatoris ab Instituto dimittatur.

*Notae:*

1) In hoc canone proposito agitur de sodaliqui sese subducit ab potestate moderatorum suorum et a vinculo communionis cum propria communitate et Instituto. Iure Codicis, sicut et iure praecodiciali, talis sodalis vocabatur «*apostata a religione*» vel «*fugitus a religione*», secundum diversitatem casuum. Supra tamen expositae sunt difficultates doctrinales et practicae quas haec distinctio praesefert et ob quas de-relinquenda videtur.

2) Ad hoc ut canon pastoralem indolem magis praeseferat, prima paragraphus imponit obligationem moderatoribus ex eorum officio et ex fraterna caritate descendenter sollicite requirendi sodales a recta via errantes et a iugo oboedientiae sese subduentes per discessum a communione cum Instituto. Haec obligatio praescribitur etiam in can. 645, § 2 Codicis, sed ponitur secundo loco et praescriptum non tam bene concordat cum novo spiritu post-conciliari.

3) In § 3 aliquid novum statuitur. Dum enim in Codicis disciplina apostata a religione et fugitus remanent membra instituti cum omnibus obligationibus ex cooptatione provenientibus et quidem, per se, in perpetuum, saltem si definitive cooptati fuissent, in canone proposito quaestio quam citius solvi debet tam pro bono instituti quam pro illo eiusdem sodalis errant. Si enim isti sodales redire non velint, ad quid relinquuntur in instituto cum omnibus obligationibus, quando certitudo fere mathematica habetur eos proprias obligationes non esse servaturos? Non esset melius eos dimittere ab instituto et solvere ab obligationibus cooptationis ita ut suae saluti aeternae magis providere possint. Haec tamen dimissio nullo modo cum praecipitatione fieri debet et propterea, praeter sollicitam requisitionem de qua in § 1, requiruntur duae monitiones et insuper ut post ultimam monitionem saltem tres menses transierint.

Art. III: «*De dimissione ab Instituto*»

## CANON QUINTUS

§ 1. Ipso facto habendus est tamquam legitime ab Instituto dimissus sodalis:

- 1) qui publice defecerit a fide catholica;
- 2) vir qui fugam arripuerit cum muliere vel mulier quae fugam arripuerit cum viro;
- 3) qui matrimonium, etiam civile tantum, contraxerit aut attentaverit.

§ 2. li de quibus in § 1 omnia iura in Instituto amittunt et ab omnibus obligationibus solvuntur, firmis oneribus sacro ordini adnexis.

§ 3. In his casibus sufficit ut moderator maior ad normam iuris particularis emittat declarationem facti. Probationes autem facti diligenter colligantur et serventur.

*vel*

§ 2. His in casibus sufficit ut moderator maior ad normam iuris particularis emittat declarationem facti; qua declaratione etiam sacra vincula et omnia alia iura et officia sodalis solvuntur, firmis oneribus sacro ordini adnexis. Probationes autem facti diligenter colligantur et serventur.

*Notae:*

1) Canon iste substantialiter concordat cum can. 646 Codicis vigilis. Casus contemplati in § 1 etiam concordant cum illis supradicti canonis. In primo tamen numero selecta est formula quae apparet in canone proposito p[ro]ae illa quae habetur in can. 646 ad includendos haereticos publicos, quia incongruum videtur quod apostatae a fide ipso facto dimittuntur dum haeretici publici eadem canonica sanctione non puniuntur.

2) Novitas in hoc canone introducta ea est quae statuit absolutionem a vinculis et obligationibus cooptationis pro illis qui ipso iure ab instituto dimittuntur. Omnes Rev.mi Consultores parvi Coetus concordabant in statuenda absolutione a vinculis cooptationis pro iis qui ipso iure ab instituto dimittuntur, sed non erant eiusdem opinionis circa modum quo haec absolutio locum habere debet. Haec est ratio ob quam in schemate proposito habetur duplex formulatio §§ 2-3. Pro aliquibus absolutio debet esse authomatica cum facto dimissionis, seu cum commissione delicti de quo agitur. Ratio est ut haec absolutio habeatur semper, etiamsi postea declaratio uno vel alio motivo non fiat. Pro aliis, e contra, dicta absolutio debet esse effectus alicuius actionis positivae auctoritatis competentis, quia non est iustum quod talis absolutio appareat tamquam praemium pro delicto commisso. Positiones tamen non sunt inter se admodum distantes et cum quadam bona voluntate concordari possunt (cf. tamen praescriptum can. 9 § 2, infra). Dicitur in fine: «firmis oneribus sacro ordini adnexis» ad hoc ut clarum sit absolutionem sive authomaticam sive per declarationem concessam respicere dumtaxat iura et obligationes ex cooptatione provenientes, non vero illa quae oriuntur ex ordinatione in sacris.

#### CANON SEXTUS

§ 1. Sodales temporarie cooptati dimitti possunt a Supremo Institutii Moderator de consensu sui Consilii, salvo insuper iure particulari.

§ 2. Ad dimissionem decernendam de qua in § 1 requiritur ut:

1) causae dimissionis, sive ex parte Institutii sive ex parte sodalis, sint graves, etsi non necessario culpabiles;

2) si causa sit culpabilis, monitiones scriptae factae fuerint et inutilles evaserint;

3) dimissio non fiat ob infirmam valetudinem, nisi morbus ante cooptationem dolose celatus fuerit vel sit psychopathicus quo sodalis ineptus redditur ad vitam in Instituto ducendam;

4) causae dimissionis sodali manifestatae sint in scriptis, data eidem plena libertate respondendi. Responsio sodalis, quae pariter in scriptis redigi debet, Supremo Moderatori eiusque Consilio submittenda est.

§ 3. In casu dimissionis ob morbum psychopathicum semper peritia medicorum scripto exarata requiritur.

*Notae:*

1) Canon iste proponit in formulatione quadam simpliciore forma et adaptata omnibus institutis perfectionis can. 647 Codicis Iuris Canonici. Sublata est distinctio inter sodales viros et mulieres, quae ut dictum est supra, amplius sustineri non potest, saltem in hac parte legislationis canonicae. Ob rationes iam plures expositas, potestas dimittendi pro omnibus institutis absque ulla distinctione concessa est moderatori Supremo instituti de consensu sui Consilii. Ius tamen particulare aliud praescribere potest, quod sit tamen ultra id quod in hoc canone statuitur. Hoc in § 1 praescriptum est.

2) In § 2 plures ex conditionibus in can. 647, § 2 enumeratis referuntur, modo, ut nobis videtur, magis claro et in forma simpliciore. Exemplificatio facta in can. 647, § 2, 2º non fuit introducta in canone proposito quia hoc non fuit aestimatum opportunum.

3) In n. 3º paragraphi 2 introducta est mutatio maioris momenti. Conatus nempe factus est solvendi quaestionem illorum sodalium qui perdurante tempore cooptationis temporariae incident in morbum psychopathicum, quo incapaces redduntur ad vitam in instituto ducendam. Nimis durum nempe appetat institutum gravare per tempus indefinitum — quia dubitatur de capacitate sodalis emitendi validum actum humanum — sodali vel sodalibus de quorum iuridica conditione in instituto pluries dubitatur quique instituto nihil conferre possunt sed gravamen non leve constituunt. Undeque igitur opportunum videtur constituere hunc morbum tamquam causam sufficientem pro dimissione in hoc casu. Clarum tamen est institutum teneri obligatione huiusmodi dimisso adiuvandi ad honestam sustentationem habendam, si aliunde pro eis provisum non fuerit.

4) Ad abusus tamen in hac re delicata praecavendos et compescendos, adiungitur quoad sodales morbo psychopathic affectos: « quo sodalis ineptus redditur ad vitam in Instituto ducendam » et in § 3 statuitur quod huiusmodi conditio constare debet per peritiam scriptam medicorum.

5) Per n. 4º § 2 cavetur adversus abusus qui introduci possent. In tuto ponuntur iura sodalis dimittendi et praesertim fundamentale ius defensionis. Clausulae in hoc

numero positae impediunt etiam praecipitationem in decernenda dimissione sodalium ex parte Auctoritatis. Ceterum in quolibet casu sodalis debet certior fieri de possibiliitate recursus adversus decretum dimissionis ad Sedem Apostolicam. De hoc recurso tamen hic nihil dicitur quia postea ponetur norma generalis quoad omnes dimissiones.

#### CANON SEPTIMUS

§ 1. Perpetuo cooptati dimitti possunt decreto Supremi Instituti Moderatoris de consensu sui Consilii, servato insuper iure particulari.

§ 2. Ad dimissionem decernendam de qua in § 1 requiritur ut:

- 1) causae dimissionis sint graves, culpabiles et iuridice comprobatae;
- 2) dimissioni praecesserint duae monitiones canonicae cum formalí comminatione subsecuturae dimissionis;
- 3) causae dimissionis in monitionibus manifestatae fuerint, data sodali, post singulas monitiones, plena libertate sese defendendi sive personaliter sive per defensorem a se electum;
- 4) responsiones sodalis, scripto datae, actis alligentur quae Supremi Moderatoris eiusque Consilii examini submittenda sunt;
- 5) tres saltem menses ab ultima monitione data transegerint.

#### *Notae:*

1) Hoc canone disciplina quoad dimissionem sodalium definitive cooptatorum in omnibus perfectionis institutis unificatur, supprimitur processus iudicialis qui in Codice praescribitur pro dimissione religiosorum a votis perpetuis, sive sollempnibus sive simplicibus in religione clericali exempta et potestas dimittendi reservata est Supremo Moderatori instituti de consensu sui Consilii. Rationes inducendi has mutaciones in disciplina codiciali iam expositae sunt supra in praemissis vel notis introductorii ad Titulum VII. Non est igitur cur hic iterum immorari debeamus ad expositiones longas faciendas.

2) Paragraphus prima est identica cum illa canonis praecedentis. Quamquam dimissio sodalis perpetuo vel definitive cooptati sit negotium gravius quam dimissio sodalis temporarie cooptati, non appetat necessarium hunc actum reservare altiori Auctoritati, etiam tantum per modum approbationis decreti a suprema potestate instituti editi. Si legislatio proposita sufficienter — ut putamus — cavit defensioni sodalis quem Auctoritas interna instituti necessarium putat dimittendum, non videtur expedita rem complicare cum recurso ad S. Apostolicam, qui plerumque nihil addit et solutionem retardat. Ceterum, sodali semper patet recursus in suspensivo ad S. Sedem.

3) Conditiones positae in § 2 similes sunt eis quae in canone praecedenti statuuntur. Attamen in hoc casu semper requiritur culpabilitas gravis ex parte sodalis et certitudo circa eam in foro externo; requiritur ut in monitionibus fiat comminatio dimissionis; conceditur sodali ut possit sese defendere non tantum personaliter sed etiam per peritum a se electum et totaliter excluditur dimissio causa infirmitatis determinata.

#### CANON OCTAVUS

In casu imminentis gravis scandali exterioris vel gravissimi nocimenti Instituto obvenientis, si periculum sit in mora, sodalis statim potest a moderatore maiore, cum consensu sui Consilii, dimitti, ita tamen ut res quamprimum ad Supremum Moderatorem deferatur, cui exemplar actorum transmittatur.

#### *Notae:*

- 1) Hoc canonis praescripto unificantur et simplificantur normae traditae in Codice Iuris Canonici pro his casibus urgentioribus in cann. 653 et 668.
- 2) Sequentes mutationes in clausulis impositis ab his duobus canonibus introductae sunt. Imprimis sublata est differentia inter dimissionem sodalis perpetuo cooptati in religione clericali non exempta vel religione laicali et illam sodalis perpetuo cooptati in religione clericali exempta. Rationes sunt clarae ex dictis supra. Deinde sublata est potestas dimittendi in his casibus moderatori minori vel, ut antea dicebatur, locali. Media communicationis facta sunt ita facilia et rapida ut amplius non videatur necessarium talem concedere facultatem his moderatoribus. Tandem nec recursus specialis ad S. Sedem his in casibus necessarium apparet et multo minus processus iudicialis ad dimissionem qui a can. 668 imponitur instituendus si ante dimissionem factus non fuerit.

#### Art. IV: «*De conditione iuridica separatorum ab Instituto*»

#### CANON NONUS

§ 1. Quodlibet decretum dimissionis quamprimum sodali cuius interest communicetur, data eidem facultate recurrendi intra decem dies ad S. Sedem cum effectu suspensivo.

§ 2. Legitima dimissione ipso facto cessant omnia vincula necnon iura et obligationes ex cooptatione promanantia.

§ 3. De dimissis (vel quomodocumque ab Instituto separatis) fiat mentio in relatione annuali Sedi Apostolicae mittenda de qua in canone...

*Notae:*

1) Stricte loquendo canon iste poni posset etiam sub Articulo praecedenti, prae-  
sertim si expressio inter uncos in § 3 auferatur. Hoc tamen in casu forsan melius esset  
eamdem paragraphum tertiam ab hoc canone delere illamque ponere tamquam di-  
stinctum canonem sub Articulo quarto.

2) Rev.mi Consultores parvi Coetus maluerunt normam generalem statuere quae  
possibilitatem recursus sodali dimisso ad Sedem Apostolicam concederet post quodli-  
bet decretum dimissionis. Secus necessarium erit hanc normam repeteret pro quolibet  
casu dimissionis, quia recursus iste semper concedi debet. Immo hoc praescripto obli-  
gatio imponitur moderatori dimittenti ut sodalem certiorem faciat de huiusmodi pos-  
sibilitate recurrendi.

3) § 2 continet novam disciplinam quam Relator et Rev.mi Consultores introdu-  
cere cupiunt ad reformatum can. 669 § 1 ob rationes iam supra expositas. Ceterum,  
si constitutiones instituti solutionem a vinculis non decernant, (in casu enim contrario  
quaestio iam soluta est quia can. citatus constitutiones salvat) Sedes Apostolica regula-  
riter dispensat ab iisdem vinculis quia incongruentia relinquendi sodalem dimissum et  
definitive separatum ab instituto vinculis cooptationis innodatum est omnino evidens.

4) Omnino opportunum apparet obligationem imponere moderatoribus instituti  
quibus competit certiorem facere quolibet anno S. Sedem de membris qui per indul-  
tum saecularizationis vel per dimissionem ab instituto definitive exierunt.

CANON DECIMUS

§ 1. Sodalis in sacris constitutus, a proprio Instituto quomodocumque  
plene separatus, ad propriam dioecesim in qua incardinatus remansit redire  
debet. Qui incardinationem ad normam iuris amiserit, Episcopum inve-  
niat qui eum ad sacrum ministerium exercendum admittat.

§ 2. Ita admissi, post triennium dioecesi plene incardinantur, nisi ab  
eodem Episcopo alii periodo probationis, quae triennium non superet, su-  
biificantur. Qua transacta, aut ab Episcopo recusentur aut ipso iure dioecesi  
plene incardinantur.

§ 3. Sodales in minoribus ordinibus constituti, qui ab Instituto legiti-  
me dimittuntur vel separantur, ipso facto privantur iure exercendi ordines  
receptos.

*Notae:*

1) Paragraphi 1 et 2 huius canonis propositi disciplinam statutam a Codice Iuris Canonici pro iis qui indultum saecularizationis receperant (cf. can. 640-641) extendunt omnibus sodalibus in sacris constitutis qui non per indultum sed per decretum dimissionis ab instituto separati fuerunt. Clarum est quod hic non est sermo de iis qui ab instituto definitive separantur per transitum ad aliud institutum. Non putamus necessarium rem in canone indicare quia est obvia. Quando agitur de dimissis definitive cooptatis, cum dimissio his in casibus implicant causas graves et culpabiles, Episcopi, si ve dioecesis incardinationis sive alii, certe non tenentur immediate admittere huiusmodi dimisso ad exercitium sacri ministerii, sed possunt eos antea subiicere periodo probationis et forsitan hoc erit opportunum in fere quolibet casu. Rigida tamen disciplina in can. 669-672 Codicis Iuris Canonici statuta pro dimissis ab institutis perfectionis non videtur concordare cum novo spiritu Concilii et certe non favet resipiscentiae et redditui eorum qui, graviter deficiente, meruerunt decretum dimissionis ab instituto.

2) Can. 669, § 2 statuit: «Si clericus est in minoribus ordinibus constitutus, eo ipso reducitur ad statum laicalem». Quamvis magna differentia inter unum et aliud praescriptum in praxi non habeatur, nobis videtur melius dicere: «ipso facto privantur iure exercendi ordines receptos», quia phrasis «reducitur ad statum laicalem» hodie male sonat et deinde nescimus utrum sit recta. Qui in hac conditione invenitur et postea vult ad ordines maiores ascendere non recipit iterum ordines minores iam receptos.

## CANON DECIMUS PRIMUS

Erga sodales qui ab eo separantur, Institutum congruentem adhibeat curam eosque in caritate adiuvet ut vitam iuxta conditionem proprii status ducere possint, nisi aliunde ipsi sibimet providere valeant.

*Nota:*

Quamquam ex iustitia Institutum nullam habeat obligationem erga eos qui ab eo se separant, potissimum si isti ob suam indignitatem legitime dimittuntur, moderatores tamen admonentur ut, mansuetudinem et misericordiam Christi imitantes, eos non derelinquant forsitan in miseria et desperatione qui paulo ante erant sodales instituti et forsitan non paucos annos ad servitium instituti et communitatis dedicaverant. Eis praebant subsidium non tantum materiale et pecuniarium, quando hoc egent, sed etiam eos caritatively pertractent ut quamprimum resipiscant et vitam novo statui consonam, sive in saeculo sive inter clericos dioecesanos, si fuerint in sacris ordinibus constituti, ducere possint.

Rev.mi Consultores parvi Coetus aestimarunt praescripta occurrentia quoad diversas formas separationis sodalium ab Instituto his undecim canonibus contineri. Coetus autem Studiorum iudicabit utrum aestimatio

huiusmodi recta fuerit. Notare volumus hoc in titulo nullum inclusum esse canonem pastoralem vel hortatorium sicut in pluribus aliis titulis factum est. Verum quidem est materiam huius tituli magis forsan iuridicam esse quam in pluribus aliis titulis iam expletis, sed non absque aliquo fructu etiam hic forsan unus vel duo canones tenoris pastoralis adiungi possent. Primus posset in memoriam revocare monitum Apostoli Pauli ut nempe quisque in sua vocatione permaneat et alius qui moderatores moneat de obligatione procedendi magna cum prudentia et caritate in salebroso et odioso negotio dimittendi sodales ab instituto. Item, in proposito can. 3, § 1 huius tituli praescriptum positum est de sodali temporarie cooptato qui expleto tempore cooptationis decisionem fert egrediendi ab instituto, sed nihil dicitur de sodali qui expleto tempore cooptationis temporariae vult cooptationem definitivam facere vel saltem temporariam renovare, sed ab instituto non admittitur. Puto praescriptum huius tenoris hic vel alibi statuendum esse ut iura instituti non admittendi sodales ad cooptationem ob iustas in tuto ponatur. De hoc cavebatur in can. 637 Codicis Iuris Canonici. Puto Rev.mos Consultores parvi Coetus hanc lacunam adimplere intendisse, sed ob temporis penuriam rem non perfecisse.

Tandem, can. 671, 1º praecipit ut sodalis, ab instituto dimissus ob delicta minora iis quae in can. 670 indicantur, suspensus maneat donec a S. Sede absolutionem obtinuerit si tempore dimissionis in sacris ordinibus constitutus fuerit. In canone tamen 10 supra in Titulo VII proposito, sodalis in sacris ordinibus constitutus qui indultum definitivae separationis ab instituto obtinuerat vel ab eodem dimissus fuerat, redire debet ad propriam dioecesim vel, si eam ad normam iuris iam amiserat, debet invenire Episcopum qui eum admittat ad exercitium sacri ministerii. Nulla tamen fit mentio suspensionis. Praeterea, cum inventio Episcopi consentientis ad receptionem sodalium huiusmodi plerumque non est res facilis, quaenam erit conditio iuridica separatorum et praesertim dimissorum usquedum Episcopum receptorem invenient? Eruntne suspensi vel non? Et quid de obligatione moderatorum instituti his in casibus? Non videtur iustum nec opportunum moderatoribus imponere onus in instituto retinendi hos ex-sodales donec invenient Episcopum. Tam pro bono ipsorum ex-sodalium quam pro illo institutorum videtur necessarium pressius rem investigare et definire.

Gratus proinde ero omnibus Rev.mis Consultoribus nostri Coetus Stu-diorum si velint has quaestiones mature perpendere et examinare atque mentem suam perdurante sessione aperire.

Romae, die 28 mensis novembris 1970.

*Relator*

## ADDENDUM AD RELATIONEM OCTAVAM

Tit. VII: «DE SEPARATIONE AB INSTITUTO»

Art. III: «*De dimissione ab instituto*»

## CANON QUINTUS

(Hic canon ponendus est in Schemate Relationis Octavae tamquam canon quintus. Canon vero qui in eodem Schemate appetat sub numero quinto erit canon quintus (bis); cf. etiam can. 637 CIC).

§ 1. Sodalis qui, expleta cooptatione temporaria, eam renovare vel definitivam facere desiderat a competenti moderatore admittatur, nisi adsint iustae ac rationabiles causae sive ex parte Instituti sive ex parte candidati ad eum non recipiendum.

§ 2. Si vero sodalis ob infirmitatem physicam vel mentalem, etiam post cooptationem contractam, praevio peritorum iudicio, non idoneus ad vitam in Instituto ducendam absque damno proprio vel eiusdem Instituti comperiatur, iusta habetur causa eum non admittendi ad ulteriorem cooptationem, salva semper caritate et aequitate.

*Notae:*

1) Praescripta can. 637 Codicis vigilis, attenta nova materiae divisione a Coetu adprobata, in duobus Articulis Tituli VII: «De separatione ab Instituto» locum invenire debent. Norma nempe iuxta quam expleta cooptatione temporaria sodalis libere Institutum derelinquere potest, in Articulo II: «De egressu ab Instituto» poni debet quia agitur de voluntario egressu. Praescriptum vero circa non admissionem candidati ad renovationem cooptationis vel ad definitivam cooptationem venire debet sub Articulo III: «De dimissione ab Instituto» quia recusatio admissionis in casu aequivaler dimissioni ab Instituto. 2) Formulatio huius canonis prae oculis habet Decretum S. Congregationis de Religiosis et Institutis Saecularibus diei 8 mensis decembris 1970 (Prot. N. Sp. R. 44/70) quod ita sonat: «II. Quoad clausulam finalem can. 637 CIC, ea ita intelligenda est, ut a votis renovandis vel a professione perpetua emittenda excludi possit a Superiore competenti de consensu sui Consilii professus a votis temporariis qui, praevio medicorum vel aliorum peritorum iudicio, ob infirmitatem physicam vel mentalem, etiam post professionem contractam, non idoneus comperitur ad vitam religiosam ducendam absque damno sive ipsius religiosi, sive Instituti ad quod pertinet. In his casibus diiudicandis caritate atque aequitate uti oportet».

Romae, die 28 mensis aprilis 1971.

*Relator*